A 24

4° 3833

Vermilaeus

M 17402

Acheté a louven le 9 Novem 87

NICOLAI VERNVLÆI

Cæſarei Regijque Hiſtoriographi, & Publici Eloquentiæ ac Politices Profeſſoris Louanij,

IMPERATORVM SYMBOLA

Præclaris Regum, Principumque nec-non variorum Scriptorum exemplis illuſtrata.

Quibus accedit

COMMENTARIVS IN ANDREÆ ALCIATI EMBLEMATA

vſque ad Emblema xv.

Omnia nunc primùm edita.

Bibliotheca Benenhoviensis Scholar. Piar.

Typis ac Sumptibus IUDOCI COPPENI,

Sub ſigno albi Monachi.

Francois Przehorzowsky Baron de Lvojskov

Emblems
74

SERENISS. PRINCIPI
CAROLO
LOTHARINGIÆ
ET BARRÆ DVCI.

SERENISS. PRINCEPS.

NICOLAVM VERNVLÆVM, *origine Luxemburgenſem, patruum meum, Hiſtoriographum, dum vixit, Regium, & publicum Eloquentiæ veteriſque hiſtoriæ* Profeſſorem, *Serenitati V. ſiſto, qui vti pro Auguſtiſſima Domo Auſtriaca aduerſus eiuſdem hoſtes & æmulos, ſcriptoreſque, qui Illius Magnitudini, Imperio, ac Virtutibus detractum ibant, fortiter ſtetit, & calamum non ſemel ſtrinxit, editâ pro eadem Sereniſſ. Gente Apologiâ, deque rebus per ſingulos anni dies per Auſtriacos geſtis Ephemeride hiſtorica: ita & Diſſertatione Oratoriâ atque in puluere Academico pro Sereniſſ. Familia Lotharingica, tot Regum quot Ducum parente, Catholicæ & Romanæ Fidei ſemper protectrice, hæreſum extirpatrice,* Pacis *& Iuſtitiæ vbique conſeruatrice decertauit, cauſaſq; & rationes occupatæ iniuſtè à*

Francis

21 Ap. 58 Rosenthal

Francis Lotharingiæ in medium produxit, diſcuſſit, & velut in libra appendit, iudicioque omnium expoſuit. Oſtendit ſcilicet iam inde ab Ottone II. Imp. Caroloque Ludouici IV. filio & Lotharij fratre, Lotharingiam, vti hæreditatis paternæ portionem à ſucceſſoribus eorum continuata ſerie, iuſtoque titulo, ſemper poſſeſſam fuiſſe, nec vmquam Francorum Regibus in eam ius vllum competiiſſe, nulloque Iure hodie eoſdem Reges ſui Iuris Ducatum facere Barrenſem. Sed & alia meditabatur Familiæ S. V. illuſtrandæ, ſtatueratq; ipſa hac SYMBOLA IMPERATORIA *Serenitati V. offerre, dedicareq;: verùm decurſâ iam prope ætate, & non tam annis ſenioque quàm laboribus ſtudijſque fractus de ſtatione vitæ huius ante tempus, ſummi illius Imperatoris decreto, decedere iuſſus, affecta ea dare finemque imponere non potuit. Pleraque tamen publicè priuatimq; profutura (vt & de cæteris, quæ viuus ſcripſit & publici iuris fecit, doctorum virorum iudicium eſt) reliquit, quibus, extrema licet manus addita non ſit, lucem ne inuiderem amici & familiares eiuſdem* D. VERNVLÆI *omninò perſuaſerunt. Ex quibus* SYMBOLA *iſthac* IMPERATORIA *S. C. V. offerro dedicoque, quæ ſi benigno, vt ſolet, animo ſuſcipere dignetur, erit hoc patrui noſtri Manibus piæ mem. Magni beneficij etiam poſt mortem accepti loco, mihi verò (ſi id per verecundiam ſexus liceat) in primis glorioſum. Ita opto & in eo voto finio,*

Sereniſſ. Celſ. Veſtræ
deuotiſſima
ELISABETHA VERNVLÆA.

The Rare Book & Manuscript Library UIUC

CLARISSIMI VIRI DOMINI

D. NICOLAI VERNVLÆI.

FAmâ viuere poſthumâ videmus,
Qui ſcribendo operam ſuam dicarunt,
Quos dicas ſapere Atticos lepôres:
Qualis LIPSIVS ille litterarum
Phœnix, & ſtudij politioris.
Viuet LIPSIVS ille in Orbe toto,
Toto viuet in Orbe PVTEANVS,
Toto viuet in Orbe VERNVLÆVS;
Laudes poſthuma fama nec ſilebit.
Dum VER egelidos ſuos tepores,
Et dum flaua CERES ſuas ariſtas,
Dum BACCHVS referet ſuos racemos,
Et dum ſtabit hiems niueis pruinis,
Viuet nomen in Orbe VERNVLÆI,
Et hæc ſymbola Cæſarum legentur.

EPITAPHIVM.

VERNVLÆE iaces, hîc molliter oſſa quieſcunt,
Æterni æternas accipe VERIS Opes.

II.

Hîc iacet: at quiſnam? mundo qui nomine notus,
Hiſtoriâ, & Clario carmine notus erit.
Et niſi conſpicuus clarâ virtute fuiſſet,
Iam VERNVLÆI nomen inane foret.

III.

GEſta Ducum cecinit, cecinit qui Cæſaris acta,
Funera qui Regum, claraque facta virûm;
Hîc iacet, at clarâ viuet virtute ſuperſtes,
Et quâ vel ſolâ cognitus eſſe poteſt.
Credite mortales, mortalia cuncta peribunt,
Sic iuuat hîc fauſto claudere fine dies.

Nicolaus Vernulæus vir pietate inſignis

ANAGRAMMA.

I, vale: Sanctis vnitus viues perenni gloriâ.

VIue Virtutum Venerande Vates.
Ver Venuſtatis Videas Vireta.
Viue Vir Vernans, Venerande Viue,
Viue Viretis.

Exiguo

— Exiguo tempore viuit homo.

Luſus Echonicus.

FLammula, bulla, cinis, quid tollis in æthera criſtas?
E. Iſtas? exiguo tempore viuit homo.
E. Iuit homo. Terris remanebit quemque ſepulchrum.
E. Pulchrum? Vbi ſed fœdis vermibus eſca caro.
Res nulla eſt. E. Bulla eſt. Res futilis. E. Vtilis. Illis
Vita eſt quos verè crimina nulla premunt.
Ne formæ confide tuæ, tibi forma peribit.
E. Ibit. Nos miſeros flebilis vrna manet.
Alterius qui facta notat, non fallitur: hoc eſt
Exemplo alterius qui ſapit, ille ſapit.
E. Ille ſapit. Vario cecidit languore ſenecta.
E. Enecta. Innumeris caſibus illa ſcatet.
E. Illa ſcatet. Cuncti morimur iuueneſque ſeneſque,
Quod VERNVLAEI mors ſatis vna probat.
Quid ſumus in terris? terris quid vana iuuentus?
E. Ventus. Et ad mortem ſic properabit. E. Abit.
O homo mancipium mortis! mortalia ſperne.
E. Talia ſperne. Breui flos perit, atque decor.
Hîc mala deflebis. E. Flebis. Spe luſus inani.
E. Vſus inani. Sic immorimur. E. Morimur.
Sic mortis ferale malum nos conficit. E. Icit.
Hînc dolor examinat nos: niſi cœdit. E. Edit.
Sic ego, ſic iuſto laxaui fræna dolori.
E. Ori. Sic Helicon triſtia finit. E. Init.
Fortunate ſenex, noſtri cape pignus amoris:
Sit tibi nunc Chriſtus dulce leuamen. E. Amen.

Ità pijs Manibus
benè precatur
IACOBVS DE CONINCK.

SYLLOGE

SYLLOGE
NOMINVM ET SYMBOLORVM
IMPERATORIORVM.

SYmbolum Auguſti Cæſaris, Feſtina Lentè. Fol. 1
Symbolum Tiberij Cæſaris, Melius tondere, quam deglubere. fol. 10
Symbolum Caj Cæſaris Caligulæ, Oderint, dum Metuant. fol. 19
Symbolum Claudij Cæſaris. Generis Virtus Nobilitas. fol. 30
Symbolum Sergij Sulpitij Galbæ Imperatoris. Miles legendus non emendus. fol. 41.
Symbolum Pauli Vitellij, Bonus odor hoſtis, melior ciuis occiſi. fol. 54
Cui contrarium Symbolum, Antonini Pij Melius ſeruare vnum, quam occidere mille. ibid.
Symbolum Flauij Veſpaſiani. Lucri bonus odor ex re qualibet. fol. 59.
Symbolum Titi Veſpaſiani Orbis Amor Princeps Bonus. fol. 65.
Symbolum Flauij Domitiani Fallax bonum Regnum. fol. 77
Symbolum Traiani Imperatoris. Qualis Rex, talis Grex. fol. 90
Symbolum Neruæ Coccæi Imp. Mens bona Regnum poſſidet. fol. 98
Symbolum Ælij Veri Imperatoris. Vxor nomen dignitatis, non voluptatis. fol. 107
Symbolum Ælij Adriani Cæſaris. Non mihi ſed Populo. fol. 116
Symbolum M. Aurelij Antonini Philoſophi. Conſulendum & parendum conſilio. fol. 123
Symbolum Fl. Iuſtini Iunioris. Libertas res ineſtimabilis. fol. 130
Symbolum Flauij Martiani. Pax bello melior. fol. 139
Symbolum M. Didij Iuliani. In pretio pretium. fol. 147
Symbolum Fl. Conſtantini VI. Mulieri Imperare, res deſperata. fol. 155
Symbolum P. Septimij Getæ. Nulla fides Regni. fol. 164
Symbolum M. Opelij, Seueri Macrini Ferendum ac Sperandum. fol. 177
Symbolum Maximini Imperatoris Quo maior, hoc laborioſior. fol. 186
Symbolum Vibij Treboniani Galli Imperator. Nemo amicus idem & Adulator. fol. 194
Symbolum M. Anton. Gordiani Princeps miſer, quem latet veritas. fol. 202

Symbo-

Symbolum D. Cælij Balbini Imper. Bonis nocet, qui malis parcit. fol. 210
Symbolum Henrici Tertij Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat. fol. 218
Symbolum C. Valerij Licini Imp. Peſtis Reipublicæ Litteræ. fol. 235
Symbolum C. Galerij Maximiani. Tutum Silentij Præmium. fol. 243
Symbolum Frederici I. Ænobarbi Imperatoris. Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare. fol. 270
Symbolum Rodolphi I. Imperatoris. Melius bene imperare, quam Imperium ampliare. fol. 280
Symbolum M. Aurelij Carini. Cedendum Multiudini. fol. 287
Symbolum Fl. Leonis Iunioris. Fide & diffide. fol. 295
Symbolum Conſtantini Magni, Immedicabile vulnus enſe recidendum. fol. 299
Symbolum Fl. Conſtantini. Patiens ſit Principis auris. fol. 306
Symbolum Conradi Primi. Fortuna cum blanditur fallit, fol. 313
Symbolum Henrici Aucupis. Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox. fol. 320
Symbolum Henrici Sexti Imper. Qui neſcit tacere, neſcit loqui. f. 328
Symbolum Othonis Tertij. Vnita virtus valet. fol. 334
Symbolum Henrici Secundi Imper. Ne quid nimis. fol. 339
Symbolum Fl. Iulij Criſpi Imper. Homo non homo iratus. fol. 344
Symbolum Conradi Secundi Imp. Omnium mores, tuos inprimis obſeruato. fol. 350
Symbolum Alberti Secundi. Amicus optima vitæ poſſeſſio. fol. 355
Symbolum Fl. Anaſtaſij Dicori. Mellitum venenum blanda oratio. f. 361
Symbolum Aurelij Valerij Imp. Maximiani. Melius mori, quam ſibi viuere. fol. 365
Symbolum Ludouici Secundi. Par ſit Fortuna labori. fol. 371

FINIS.

SYMBOLVM

AVGVSTI CÆSARIS.

Feſtina Lentè.

NON exigua, neque leuis momenti diſputatio apud Politicos eſt, *Vtrum prudentis Principis ſit, & cuiuſcunque etiam Senatoris & Reip. Præfecti, tarditate, an vero celeritate in actionibus ſuis.*

Vtrimque diſputationem hanc ſuis momentis ponderabimus, deinde rem vniuerſam Augusti Cæſaris ſententia definiemus.

I. *Legatis nō committuntur triremes, loca arces, ſed verba & tempora. Demoſthe.*

Non feſtinandum, ſed tarditate quadam omnibus in rebus agendum quidam autumant. Quippe ſæpè ineundi ſunt contractus, percutiendum fœdus, cùm legatis de re graui agendum; hic nequaquam eſt feſtinandum: omnia deſpicienda.

II. *Deus ab æſtu per autumnū ducit nos in hyemē, per ver a frigore in æſtatem Xenephon.*

Aliquando innouandum aliquid in Rep. Paulatim tum agendum; flectendi ciues, & ducendi, vt quodam progreſſu conſuetudo fiat, non imperetur.

III.

Nonnunquam Princeps in anguſtijs eſt. Ne ſit præceps & tempus ſibi det. Puncto temporis ſæpè maximarū rerum momenta vertuntur. Vna dies, vna nox, quantam adfert mutationem?

IV.

Non rarò quando hoſtium acres ſunt impetus

Quid agas! ſis tardus; langueſcent iſti impetus cunctatione ipſa, & plus quiete, quam motu proficies.

Liuius Lib. 31. Nihil magni diſcriminis conſilijs tam inimicum, quam celeritas.

Saluſt. in Coniura. Cat. Maximum bonum in celeritate Cethegus putabat.

Ouidius. *Differ, habent paruæ commoda, magna moræ.* Medicos quoque plus interdum quiete, quam mouendo atque agendo proficere. Liuius Lib. 22.

Vt idem teſtatur Lib. x. Romani per Fabium contra Samnites arcebant magis, quam inferebant pugnam, extrahebantque in quam maximè ſerum diei certamen, quia ita perſuaſum erat duci, & Samnites & Gallos primo impetu feroces eſſe, quos ſuſtineri ſatis ſit.

Fabius cunctando vicit Hannibalem. Per loca alta ducebat agmen, modico ab hoſte interuallo, vt neque omitteret eum neque congrederetur.

Item Oneus Sulpitius, cum nulla res cogeret non voluit ſe fortunæ aduerſus hoſtem Gallos committere, quem tempus in dies deteriorem & locus alienus faceret ſine præparato commeatu, ſine firmo munimento morantem. Liuius Lib. 7.

Obſeſſis dilatio opportuna eſt, vel ad ſubſidium accipiendum, vel quia cogere ſubita occaſio hoſtem ad recedendum poteſt.

Ita

Ita Nolani Senatores cum deficere ad Hannibalem Ciues vellent, ſimulauerunt placere defectionem, quibus autem conditionibus in amicitiam nouam tranſeant parum conſtare, ita ſpatio ſumpto legatos ad Prætorem Marcellum, qui Canuſij cum exercitu erat, mittunt, periculumque docent, ni ſubueniatur. Liu. Lib. 23.

Leodienſes ſi ad duos dies deditionem, quam Carolo Duci Burgundiæ fecerunt, diſtuliſſent, coactus erat ille recedere propter tempeſtates, inopiam &c. Philip. Cominæus.

Iugurtha primo tantummodo belli moram redimebat, exiſtimans ſeſe interim aliquid Romæ pretio aut gratia effecturum. Saluſtius.

Pro Celeritate.

Lucanus Lib. 1.

Tolle moras ſemper nocuit differre paratis.

Sed propera nec te venturas differ in horas, Ouidius.

Qui non eſt hodie cras minus aptus erit.

Non bene diſtuleris videas quod poſſe negari Mart.

Quicquid agis promptiſſimè atque optimè & diligenter age. Socrates.

I. Cæſar, pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum titulum prætulit. *Veni, vidi, vici.*

Vegetius Lib. 4. ait in rebus bellicis celeritatem amplius ſolere prodeſſe, quam virtutem. Ideo Cic. pro

lege Man. celeritaté inter virtutes Imperatoris refert.

Ea ita placebat Iulio Cæſari, vt penè temere ardua quæque aggrederetur, ac ſine conſilio dicebatque: *De ijs conſultandum non eſſe, ad quæ perficienda iunctam vim celeritas haberet.*

Quæſitũ aliquandò eſt ab Alexandro Magno quomodo ſibi tam multa tam paruo tempore cõparaſſet, μηδὲν ἀναβαλλόμενος nihil pro craſtinando.

Quod cum Alciatus exprimere Emblemate voluiſſet, poſuit *Alcen feram*, quæ equi robur & cerui celeritatem habet, teſte Plinio, cum illa Alexandri ſententia, *Nihil procraſtinandum.*

De illa Alexandri celeritate multa apud Curtiũ Lib. 5 & 7. Eius erat tam præceps in rebus agendis cura & induſtria, vt omnium Principũ celeritatem anteuerteret.

Eius pedites equorum curſum adæquabant.

Et quidẽ ſemel, teſte Æliano Lib. x. var. hiſt. ter CCCC ſtadijs continuò itinere confectis antequam quietem caperet exercitus cum hoſtibus conflixit, & vicit.

Vnde Darius conquerebatur nullum ſibi ſatis longum ſpatium relinqui, quo Alexandrum pro viribus & contentione retunderet. Nam Alexander noctu & interdiu curabat, vt improuiſum hoſtẽ aggrederetur.

Illum animum etiam adoleſcens habuit. Cum illi diceret Ariſtoteles expectandam eſſe robuſtiorem ætatem, qua melius animum ad res bellicas applicaret, reſpon-

reſpondit, *at timendum eſt, nedum annos expecto per incuriam audax mihi iuuentus præripiatur.* Ita magnæ indolis viri omnia facilius, quàm moram patiuntur, & lenta remedia oderunt. Ioannes. *In Politicis noſtris lib. 1. Tit. 17. n. 9.* *Ioann.*

Opus eſt celeritate inprimis in eo conſilio, quod non poteſt, niſi peractum laudari. Tutum illud celeritas facit, & tarditas temerarium.

Plurimæ in bello occaſiones celeritatem petunt vt in vtilitatem noſtram conuertantur.

Contra motus ſubditorum celeritate eſt opus priuſquam inualeſcant & confirmentur. II.

In Rep. omnia maturè: prouidenda procurandaq; III.

Quando cum hoſtibus agendum, prior & celeriter occurrat, qui vult ſuorum vires augere & hoſtium diminuere. Vtendum occaſione. Qui in occaſionis momento paulum cunctatur, amiſſam mox opportunitatem fruſtrà queritur. Velox eſt omnium rerum mutatio, proinde expedita prudentia eſt opus. IV.

Si gratificandum alicui, ne lenta ſit gratia. Si obſequium præſentetur, ne occaſio pereat, citò acceptetur. *Gratia quæ cito fit, Gratia grata magis. Auſonius.*

Gratus Princeps, Grati Conſiliarij, qui patientiam ſubditorum, cum aliquid eſt agendum, non fatigant, nimia cunctatione. Redimere multi tempus vellent, etiam eo quod petitur, denegato.

Scipio non differendum putauit certamen cum Hannone ne illi ſe Aſdrubal iungeret, quod mallet

cum ſingulis ſeparatim, quam aduerſus duos ſimul rem gerere. Liuius Lib. 21.

Idem Pompeius fecit contra Mithridatem.

Martius Conſul ſtatuit hoſtem aggredi antequam omnes copiæ conuenirent.

Item Cæſar Iulius, inuaſit ſubito Sueuos, antequam ſe copijs Ariouiſti iungerent. Lib. 1. Belli Gallici.

Feſtinandum etiam cum magnus eſt exercitus, quem ſuſtentare diu non poſſumus, vel inopia, vel alio caſu; tentandum aliquid &c.

Conſuli Luctatio, inquit, Liuius, quæ alia res quam celeritas victoriam dedit, quod poſtridie quam hoſtem vidit, claſſem grauem, commeatibus impeditam, ſuo ipſam inſtrumento atque apparatu oppreſſit?

Dum Romani deliberant de ſuppetijs Sagunto ferendis vrbs capitur.

Alexander cum audiret motus Græciæ, ſtatim cum potentiſſimo exercitu illam inuaſit: tanta celeritate inquit Iuſtinus, vt quem venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent.

Omnium neceſſaria, celeritas contra ſubditorum rebelliones. Quare vt ait Cic. Philippica V. omne malum naſcens facilè, opprimitur, inueteratum fit plerumque robuſtius.

Polyam. Lib. 8.

Rodogina Perſarum Regina, impedita lauandis crinibus cum quandam ſuorum defectionem intellexiſſet, non prius exſiccatis ijs, equum conſcendit, & illos ſtatim oppreſſit.

Feſti-

Feſtinandum cum inualida adhuc eſt coniuratio. Idem de Semiramide Babylonios incompoſitis crinibus, Syraces diſcalceata inuadente.

Melior eſt Prouidentia, quam pœnitentia. Dionifius Halicar.

Cæſar reprehendebat, quod Pompeius ſuis mandaſſet, vt Cæſaris impetum exciperent neue ſe loco mouerent. Propterea quod eſt quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, hanc non reprimere, ſed augere Imperatores debent.

Plura adferri in partem vtramque poſſent. Et tarditate magnæ res perficiuntur & celeritate, vtraque, cum nimia eſt, magnum eſt malum. Et ſane hac in re.

Medium tenuere beati.

Igitur bene Auguſtus Cæſar,

Feſtina Lentè.

σπεῦδε βραδέως.

Hoc Symbolum Auguſti maturitatem deſignat. Maturum enim eſt id, quod neque citius eſt, neque ſerius, vt ait Nigidius apud Gellium Lib. x. Cap. xi. Nam ad res gerendas ſimul adhiberi debet & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas.

Hoc expreſſit Veſpaſianus in nummis ſuis per anchoram & Delphinum. Anchora tarditatem quia remoratur naues, Delphinus velocitatem, quia natando celerrimum eſt animal, deſignat, atque

ita

ita ex his duobus maturitatem ſignificabat.

Idem habet Emblemate 3. Alciatus.

Alij per velum in malo ſupra teſtudinem.

Alij per telum & remoram.

Saluſt. Bel. Cat. Priuſquam incipias, conſulto, & vbi conſulueris mature facto opus eſt.

Sen. Diu delibera, fac cito.

Tacit. Conſilium ante rem.

Cato. Sat cito ſi ſat bene.

Bias apud Ariſtotelem in Ethicis. Negotium ſuſcipiendum cunctanter, verum in ſuſcepto permanendum conſtanter.

L. Conſtantini 4. progonati ſymbolum. Lucij Aurelij Commodi Symbolum, paulatim, pedetentim dicere ſolebat, à ſoſpite negotium paulatim, à mortuo fruſtrà geri.

Quod cito fit, cito perit. Adriani Iunij Emblema.

Quod I. Campanus interpretatur. Quod ſubito exoritur fluctuat vi ſubitū. Picta mulier ſcabello inſidens, quæ geminas alas dextra tenet, ſiniſtra teſtudinem. Rurſus dextro pede terram premit, ſiniſtrum in altum effert. Sic dextræ agilitatem remoratur pedis dextri grauitas; & ſiniſtræ tarditatem adiuuat pedis ſiniſtri agilitas. Mediocritas ſignificatur. Sic feſtinandum, vt nec tardi ſimus, nec præcipites.

Sus & Canis de fœcunditate certabant. Biennio parit Elephas teſte Ariſtotele; ſed fœtum eximium & ebur nobile. *Canis dum feſtinat cæcos parit catulos.*

Neque

Neque enim debent res celeritate, ſed perfectione iudicari. Hinc cum Agatarchus pictor ſe iactaret quod celeriter pingeret, Zeuxis autem diu immoraretur operi. Ego, inquit Zeuxis diu pingo, quia pingo, æternitati.

Prouerb. *Annus producit ſegetes, non ager.*

Plato. *Opiniones colare oportet, vt aurum.*

Experientia teſtatur eum, qui nimium properat, ſerius plerumque abſoluere, non aliter, atque ijs accidere ſolet, qui dum perturbati feſtinant, veſtem aliquando aut calceos peruerſè induunt, quæ res poſtea moram adfert.

Carolus V. dicebat, *Quemadmodum Saturnus Planetarum ſupremus, omnium tardiſſime circumuertitur, ita Principibus conuenit nihil præcipitanter, aut inconſideratè agere.* Nulla res eadem feſtinata ſimul eſt, & examinata.

Greg. Naz. σύμβουλος οὐδεὶς βελτείων χρόνου· *Nullus conſiliarius melior tempore.*

Thomas Morus ad matura conſilia Regis miniſtros hortabatur. Cenſebat nihil eo die deliberandum, quo aliquid proponebatur, ſed differendum, ne quis, quod in buccam veniret, temere effutiret, ac ea poſtea excogitaret, quibus ſuam ſententiam tueretur, malens potius ſalutis publicæ, quam propriæ opinionis iacturam facere.

Vide obſeruationes noſtras ad 3. Emblema Alciati.

Canis dicebat ſe omnium pedeſtrium eſſe fœcundiſſimum, tunc ſus, ſed dum hoc dicis ſcias te cæcos catulos parere: ſic res nō celeritate, ſed perfectione iudicantur.

Res nō celeritate ſed perfectione iudicātur.

Auſter initio lenior deſinit vehementior.

Aquilo vehemens initio poſtea lenior.

TIBERII CÆSARIS.

Melius tondere, quam deglubere.

CVm Prouinciarum Præſides, vt author eſt Suetonius. Tiberio Cæſari, vt Prouincias nouis tributis oneraret, ſuaderent, iamque etiam Æmilius Reſtus Ægypti Prætor grauiſſima ſubditis veſtigalia imperaret, reſcripſit Imperator. *Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.* Et hinc hoc eius Symbolum. *Melius tondere, quam deglubere.*

Igitur Princeps Paſtor eſt, populus pecus. Sic Homerus Reges Paſtores &Cuſtodes populi appellat. Vndè Cyrus apud Xenophontem Boni Paſtoris, & boni Regis opera ait eſſe conſimilia; quorum ille felicitatem pecoribus conciliando, ita vtitur his, quæ beata eſt ouium vita: hic vero pariter ciuitates hominesque efficiens beatos ſic deinde eis vti fruique debet.

Et vero inter alia omnia nomina Principi maxime proprium & accommodatum eſt Paſtoris nomen Reuera enim Principis boni munus eſt populos ſibi ſubditos paſcere, regere, gubernare .ſicut paſtor gregem, paſcit, à laneatu luporum defendit, ſcabiem curat, in eius procurando bono noctes inſomnes ducit.

Sed

Sed maxime officium circa tributa apparet ſicut enim Paſtor non deglubit non extrahit lanam, ſed tondet, & quotannis noua tonſura fructum capit, quo priuaretur, ſi pellem detraheret, & oues potius exanimaret, quam tonderet, ita boni Principis eſt cum neceſſitas exigit ſic onerare plebem, vt modice abradat, ſed non expilet.

Eodem & ſimili ſenſu reſpondit aliquando Cyrus ijs qui ſuadebant, vt largitiones & beneficia contraheret, vectigalia autem maiora exigeret.

Tandem vero rem multo apertius Salomon Prouerb. 27. *Sufficiat tibi lac caprarum, in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.*

Nazianzenus —

Mulgere & hircos ſi velit, paſtor poteſt,
Sed ſanguis pro lacte ſaliens fluet.

Pomponius Lætus. *Qui totum lac ex vberibus ouium emulſerit, agnos fraudans cibo, prædo eſt, non paſtor.*

Salomon in Prouerb. *qui lac premit, exprimit butyrum; qui naſum ſanguinem; qui rixas litem.*

Phocilides ſimili allegoria. *Vetat omnes vna pullos ex nido auferri nulla aue magiſtra relictâ.*

Et Cic. ad Atticum. *Neque laudandus eſt is Princeps, qui pennas ſubditis ita incidit, vt nolit eaſdem renaſci.*

Nimirum peſtis Reip. eſt is Princeps, cui ærarium vt Plinius loquitur, eſt ſpoliarum Ciuium, & cruen-

tarum prædarum receptaculum. *Quique adeo*, vt Plautus ait, *rem aufert cum puluiſculo.*

Addo aliud ſimile. Cum puteus plenus eſt facilè hauritur, imò etiam exhauritur; at ſi venæ & occulti meatus per quos humor influit, exſiccentur, & fons, ex quo dimanat, exareſcat nulla arte induſtria reſtituetur.

Hinc Ariſtoteles Alexandro. *Optimus Regis theſaurus, & qui tardiſsime perditur, eſt populus cum diligentiſsime cuſtoditur.*

Imperator Iuſtinianus dicebat, *tunc regnum & Imperatoris & Regis fiſcum & ærarium opibus affluere, cum populus ei commiſſus diuitijs abundat, telluſq́; fecanda eſt ac ferax.*

Alexander Magnus conſilio Magiſtri ſui eſt obſecutus. Cum eſſet in neceſſitate propter ſumptus militares, dona frequentiſſima, rara ex hoſtibus ſpolia, quidam aſſentator grauandum tributis populum ſuaſit, cui Alexander dignam ſententiam reſpondit, *Odi olitorem, qui radicitus herbas excidat.*

Nimirum Regnum eſt hortus; ſinguli ſubditi ſunt arbores, plantæque. *Quamdiu radix viuit, colligi fructus poſſunt, vbi exſecta eſt, mox plantæ exareſcunt.*

Conſtantius Conſtantini Magni Pater dicere ſolebat, *melius opes à priuatis poßideri. Nam apud illos fructum reddunt, in ciſtis Principum ſteriles ſunt & infructuoſæ.*

Cum populus eſt egens & inops & velut abſtracta pelle nudus, nec lanam dat, qua Princeps veſtiatur;

nec cætera ad depellendam neceſſitatem profert.

Et quid obſecro ex Principum opibus commodi?

Quando fiſcus in Rep. non creſcit, ſignum eſt ſalubris Imperij. Nam quando creſcit, priuata vtilitas decreſcit.

Ideò Traianus dicebat Fiſcum Lienem eſſe quando enim creſcit Lien in corpore humano, tunc cætera membra contabeſcunt. Rationem dat Ariſtoteles in Problematibus, quia Lien ſeu Splen multam attrahit materiam, quæ tranſire in alimentum deberet. Et hinc homines parui ſplenis, pingues fiunt.

Expreſſit hoc Emblemate Alciatus

Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus
Fiſco aucto arguitur ciuica pauperies.

Vnde, vt ait Caſſiodorus, incrementa Fiſcalium tributorum iuſtiſſimo pendenda ſunt iudicio, quia ſeruientium imminutio eſt, huius illationis acceſſio; quantumque pars illa proficit, tantum hæc à firmitate ſe ſubducit.

Vellem Principes omnes Ludouicum Primum Hungariæ Regem imitarentur, qui ne plebs grauioribus tributis, quam par eſſet, à Quæſtoribus & Præfectis oneraretur, diſſimulato habitu ſæpe pagos & oppida luſtrabat; inquirebat in mores Præfectorum, de

tributis & grauaminibus, percunctabatur de ſeipſo & ex ſimplicium hominum, reſponſis ſe ipſe notabat. O bonus paſtor! etiam modice tondebat.

Quid prouenit ex remiſſione vectigalium? Diuitiæ ſubditorum. Idcirco Cyrus à Perſis Pater appellabatur.

Et Bela Rex Pannoniæ cum populum vectigalibus leuauiſſet, ita Nobilitatem & plebem ditiſſimam effecit, vt ne minimus, quidem ruſticus in Pannonia egenus reperiretur.

Damna ex grauitate vectigalium

Caligula quia nullum rerum, nullum hominum genus reliquit cui non aliquid tributi imponeret adeoque edulijs in foro, vnde 30. vulneribus confoſſus à coniuratis interijt.

Athæus Lydiæ Rex populi concurſu cum tota familia trucidatus eſt, & Palatio incenſo cadauer eius vnco tractum eſt, & in flumen abiectum. Graues illæ exactiones ſeditionem excitant & rebellionem.

A paucis accipit qui nimium quærit.

Decem tribus Iſraël à Roboamo defecerunt, quia nimium eas onerabat. 1. Regum.

Hungari Matthiam Coruinum deſtituerunt in medio Regni curſu, cum exhauſto perlonga bella ærario, ad noua vectigalia & tributa cogeretur confugere.

Dux Albanus cum omnium rerum decimam exegit, quantos excitauit in Belgio noſtro tumultus?

Franci Theodorum Regem, quod populum tribu-

tis premeret, de regno deiecerunt. Bodinus Lib. 6. de Rep.

In Ludouicum XI. graue bellum excitarunt, vt exactiones auerterent.

Optandum eſſet, vt omnes hoc exemplum obſeruarent.

Ludouicus Sfortia Dux Mediolanenſis Legatum ad Genuenſes miſerat, vt pecuniæ vim ingentem extorqueret. Exceptus eſt hoſpitio à quodam primario Ciue, qui ab accubatione epulari cum legatum in hortum duxiſſet, animaduerſam Baſiliſci herbam accepit, & dans Legato, Cape, inquit, & leuiter tracta; fecit & ſuauiſſimum odorem deprehendit. Tum rurſum preme, preſſit, & odorem in ſuauiſſimum afflari ſenſit. *Tum Domine*, inquit, *ſi Dux Ludouicus molli ſuæ potentiæ manu hanc Vrbem tractet, lætam & obſequentem inueniet; ſi fortiter premat, ingratum rebellionis & impatientiæ odorem percipiet.*

Sub Theodoſio magno deiectæ ſtatuæ Placillæ Imperatricis propter nouum vectigal.

Liuinius Cæſaris libertus, cum Galli ſingulis menſibus darent certum tributum, fecit quatuordecim menſes, accuſatus, adductus in periculum vitæ; dedit Auguſto omnia, vt vitam deprecaretur.

Maluerunt alij ſua vendere. M. Antoninus pro bello parando vaſa omnia aurea arg. criſtallina, gemmas,

ſupel-

ſuppellectilem omnem & mundum vxoris vendidit, vt nouum tributum imperare non deberet.

Albertus Pius Dux Brabantiæ,

Qui ſunt hi, qui non tondent ſed deglubunt.

Illi inprimis qui quotidie excogitant & ſuggerunt nouas rationes tributorum, & pecuniæ corradendæ, nunc de vendendis officijs, de proſtituendis abbatijs & ſacerdotijs: Numerant Caminos, feneſtras, tegulas capita boûm edulia &c. Quos homines, dicebat Wilhelmus Haſſiæ Princeps ad laqueũ amandandos eſſe.

Veſpaſianus ex Cotio, concubitu meretricum; nec mendicis parcebat, ideo cognominatus ſexobolaris ab Alexandrinis.

Quidam Epiſcopus in Gallia teſte Boërio deciſ. 363. aliquot millia aureorum quotannis colligebat ab ijs qui ductis vxoribus biduo aut triduo ab ijs non abſtinerent poſt nuptialem benedictionem.

Si conſtituenda Domus, miſere hic grauandi ſubditi. At contra,

Fredericus XI. Daniæ Rex cum Croneburgum ſplendidiſſimam Regiam incredibili ſumptu ædificaſſet, dicere ſolitus erat, nolle ſe eum lapidem in ſuo ædificio tolerare, ſi quem ſubditorum ſuorum nummo comparatum eſſe ſciret.

Henricus III. Caſtellæ Rex cognomento valetudinarius dicebat ſe diras & execrationes ſubditorum

magis

magis reformidare, quam hoſtium arma. S. Eduardus Angliæ Rex dæmones ſacco pecuniæ ex tributis collectæ inſidentes videre viſus eſt, quo viſo pecuniam, iniuſtè exactam intelligens eam reſtitui populo iuſſit.

Præterea populum deglubunt aliquem Patriæ proceres quando in publicas opes manus auidas inijciunt. Ita fit vt miſer ſit populus, & Principes egeant.

Henricus III. Rex Caſtellæ cum à venatione reuerſus nihil obſonij paratum reperiret, audiuit à regio obſonatore pecuniam & fidem ſimul eſſe conſumptam, adeo vt oppignorato pallio carnes arietinas ad prandium parare debuerit. Verum cum inter prandiũ audiuiſſet meliori conditione Proceres agere, & ſplendore conuiuiorum inter ſe certare, cum forte eo die apud Archiepiſcopum Toletanum Tenorium cœnaretur, venit eo Rex inuoluto capite, & omnia vidit lætitia delitijſque redundare, peractaque cœna narrantes ſingulos audiuit quantum redituum ex paternis oppidis, quantum ex vectigalibus regijs quotannis perciperent. Quare poſtera die ægrum ſe finxit, proceres aduocat, veniunt, & in arcem excluſis famulis admittuntur. Tum, Rex ad eos ferro cinctus ingreditur, rogatque quot ſinguli reges in prouincia ſua vidiſſent, cumque vel duos vel tres pro diuerſa ætate reſpondiſſent, ego verò, inquit, viginti; & vos omnes reges illi eſtis, qui diuitijs regni occupatis inane nomẽ *Mariana.*

Rex pauper eſt animal periculoſum dixit quidã ſapiens. Paupertas ſtimulus eſt inſani appetitus. Theodoricus Rex Italiæ.

& egeſtatẽ mihi relinquitis,ſed ne amplius faciatis veſtrũ omniũ capitibus ſanciam. Mox euocat lictores & ſexcentos milites armatos, quos arcano paratos habebat. Tũc omnes in genua procubuerũt veniã deprecati, quam quidem conceſſit, ſed ad menſem alterũ in arce detinuit,& interim vectigalia tradereRegi ſibi cõpulit.

Ita plurimi ſunt depeculatores & fures publici qui omnino nulla ſpe veniæ ſunt caſtigandi vt enim dicebat Cato apud Gel. Lib. xi. Cap. vlt. Priuatorum fures in neruo & compedibus ætatem agunt, publici in auro & purpura verſantur.

Deglubunt etiam Ærarij Collectores , Quæſtores, Theſaurarij per quorum manus pecunia tranſit.

Conqueſtus aliquis Gallię populus apud S.Ludouicum Regẽ,quod grauius ſentiret damnũ ex collectione & exactione quęſtorũ, quam ex ſolutione ſortis: Nam pro decem millibus coguntur ſoluere triginta &c.

1556. Vnde Bodinus Lib. 2. de Rep. refert ſe interfuiſſe Comitijs apud Tectoſages, vbi illi ſupplicabant Henrico II. Regi vt depeculatores illos à prouincia remoueret, ſe laturos ei quod peteret, ſicque fore vt maioribus impenſis parceret, & totũ quod peteret, reciperet.

In teſtamentoS. Ludouici,ita monet filiũ ſuũPhilip.

Ne ſubditis tuis tributa imperes aut imponas onera , niſi neceſſitas vrgeat, teque manifeſta vtilitas regni compellat, idque non vltro ſed graui de cauſa facias, ſi ſecus faxis, non Rex ſed Tyrannus haberis.

SYM-

SYMBOLVM

CAI CÆSARIS CALIGVLÆ

Oderint, dum Metuant.

CONGRVIT huic Symbolo, illud Oedipi apud Senecam

—— Odia qui nimium timet
Regnare neſcit; regna cuſtodit metus.

Illud etiam Polynicis in Thebaide

Regnare non vult, eſſe qui inuiſus timet.

Scio quidem ita comparatum eſſe, vt quanquam ita agant Principes, vt merito eos odiſſe nemo poſſit, erunt tamen ſemper aliqui, qui oderint, vt placet Senecæ de prouidentia.

Nam teſte Plutarcho, ea eſt natura vulgi vt ei ſemper inſit malignum aliquid & querulum in imperantes.

Quicquid ſit tamen, vox hæc Tyrannica eſt, vox Syllana, vox execrabilis & deteſtabilis.

Tiberius voluit hoc modo mollire. *Oderint, dum probent*. At male; nam quod homines oderunt probare non poſſunt; quod probant non oderunt. Natura inſitum eſt, vt quem timueris, hunc oderis vt eſt apud Ciceronem. Orat. pro Sylla.

Sed aliud eſſe Symbolum Caligulæ non potuit, eius

inquam Imperatoris, vel potius carnificis, qui optabat, vt Populus Romanus vnam tantum ceruicem haberet. Cui à Chærea occiſo cum Populus Romanus inſultaret, dicebat, *Tu vnam ceruicem habes, ſed nos multas manus.*

Hic diſputari iam poteſt vtra plus proficiat in regno ſæuitia an clementia; illa timorem gignit & odiũ, hæc amorem & beneuolentiam.

Nihil ex Caligulæ Symbolo definiam, qui metum vrgendo nihil ſubditorum odium curabat. Ita enim iudico plus clementiam, quam ſæuitiam proficere; plus amorem, quam timorem regnantibus prodeſſe. Aſtruamus hoc ipſum.

Inter Regum titulos Clementia primum fere locum habet; & Principes ſalutari Clementes volunt.

Eam laudat Cicero in Cæſare pro Marcello, & illum per eam Dijs ſimillimum iudicat.

Quando Princeps timetur a populo ei inſidias parat pro obſequio.

Eſt virtus imperatoria. Romæ in Traiani foro inuentum marmor, in quo ſcriptum. *Potentiſſima Dos in Principe liberalitas & Clementia.*

Cic. pro Ligario. *Nulla alia re homines ad Deum accedunt propius, quam ſalutem hominibus dando.*

Iupiter ideo pater ab Homero; vt doceat regnũ eſſe paternum.

Imp. Iuſtinianus L. fin. C. de donatio. Inter virum & vxorem. *Nihil tam peculiare Imperialis Maieſtatis, quàm humanitas, ſiue clementia per quam ſolam Dei ſeruatur imitatio.*

Item

Item L. 23. in princ. C. de Nupt.

Salomon Clementiâ thronus Regis corroboratur. Cum obijceretur Theopompo Regi Lacedæmoniorum, quod eſſet humilius Regnum filijs traditurus quam ipſe accepiſſet; eo inquit, maius, quo diuturnius. *Proue. xx.*

Alphonſus Aragoniæ Rex, cum argueretur, quod nimis leuis eſſet, & grauiter delinquentibus ignoſceret; paratus ſum, inquit, ſi ad calculum vocer, oues meas Deo immortali incolumes reſtituere.

Eodem modo Seuerus Imp. cum Mammæa mater illi diceret, *Tu molliorem tibi poteſtatem & contempti biliorem Imperij feciſti.* Imo, inquit, ſecuriorem atque diuturniorem.

Idem dicebat ſe iuſtitia bonis gratum eſſe, Clementia etiam malis. Idē expectent donec vrſi & Leones regnarent; hominis eſſe Clementiam, belluarum feritatem.

Sanè remiſſius imperanti paretur melius & fidelius; hinc Senec.

Qui vult amari, languidâ regnet manu.
Inuiſa nunquam imperia retinentur diu.

Principes ſeueri, & omnia ad filum redigentes, ſunt odioſi omnibus & deteſtabiles.

Dum funem nimium trahunt, illum rumpunt.

Rex Menelaus apud Euripidem. *Si vela nimium tendas, nauis mergitur; ſed ſi relaxes rurſus, vehitur tutius.*

Rodolphus I. nunquā pænituit me leuē fuiſſe, at pænituit fuiſſe immitem.

Natura docere videtur, quæ inter apum examina Regibus aculeos detraxit, aut eorum vſum negauit, quo minus cuiquam nocerent.

Henrici Primi Aucupis Symbolum Princeps ſit

Ius dicitur à iubendo.

non abIm-perando vel præci-piendo. Iu-bere patrũ eſt; ideo ius amoris eſt imperium.

tardus ad vindictam, velox ad beneficentiam. Ouidius expreſſit in Ponto.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quique dolet quoties cogitur eſſe ferox.

Faciendum quod Medici, qui rariſſime ſectiones & vſtiones adhibent; ne ipſa vitia in corpore magis exaſperentur; *pleraque renibus exercitijs & mitibus medicamentis ſanant ac molliunt.*

In Cypro eſt Mons Arcadius, in quo herba Flauia naſcitur, ex qua decerpta ſanguinem ſtyllare aiunt, qui ſi calidus illinatur ad mortem; ſi frigidus, ad odium cogere etiam inuitos perhibetur.

Refert Geuara.

In illa inſula Rex fuit Clementiæ memorabilis, in cuius ſepulchro.

Iſta mihi Patriæ ratio eſt ſeruata regendæ,
Dum Superi vita me voluere frui.
Nempe mihi cunctis in rebus amorque timore,
Paxque fuit potior Marte, preceſque minis,
Supplicia expendit nemo manifeſta malorum,
Clam niſi præmonitus ſæpius ante foret.
Nemo graui eſt meritas paſſus pro crimine pœnas
Quin illi ignotum vel quater ante foret.
Vtque mihi iuſtas in pœnas ire dolori,
Lætitiæ veniam ſic dare ſæpe fuit.

Traianus inſanum illum eſſe dicebat, qui oculos ſi habeat Lippientes, eos malit effodere, quam curare.

Sola

Sola eſt miſericordia, cui omnes virtutes honoraliter non recuſant cedere; vt ait Caſſiodorus.

Senec. de Clementia Lib. 1. Quin ſeueritas aſſiduitate auctoritatem amittit. Ibidem ait quod Principi non minus turpia ſint multa ſupplicia, *quam Medico multa funera.*

Henricus IV. Aureos, reddidit omnibus ijs, qui Regem maximè offenderunt; vt à clementiæ auro nequitiæ plu mbum offuſcetur. Cum pediſſequus in venatione ruſticum læſiſſet, illum ad triremes damnauit, & ruſtico vt ſanaretur gladium dedit.

Saluſt. Orat. de Rep. ordinanda. Neque quiſquam te ad crudeles pœnas aut acerba iudicia inuocet, quibus Ciuitas vaſtatur magis, quam corrigitur. Et quemadmodum arbores quædam reciſæ pullulant; ita regia crudelitas inimicorum multitudinem tollendo auget.

Iſocrates Regi præcipiebat, vt delicta non culpæ magnitudine, ſed clementia metiretur. Nam boni Medici eſt oleum potius adhibere, quam ferrum. Et hinc Cæſar ne in prauos animaduerteret, gloriabatur nullius rei ſe magis obliuiſci, quam iniuriarum.

Leo apud Ægyptios eſt Hierogliphicum Principis parcit proſtratis, nunquam in pueros, raro in fœminas exardeſcit.

Alexander M. dicebat eſſe glorioſius iram vincere, quam hoſtem ſuperare; illud virtutis, hoc fortunæ eſt.

Henricus 4 nunquam ferali ſupplicio ſed Clementia ſubſcribã: dextram à ſanguine puram in pace volo; quam nunquam niſi ſanguine cinctam è prælio reportaui. Henricus 4

Cum moris eſſet olim, vt Principes fatali ſententiæ ſubſcriberent, conſtitutũ, vt rei non ante decimum diem ad ſupplicium ducerentur. Theodoſius ne ante xx monente Ambroſio inſtituit.

Cle-

Clemens, teſte Varrone, quaſi clara mens: mentis claritas eſt ipſa ſapientia; ideóque clemens, qui ſapiens. Cum à Clemente VIII. quæreretur, quis eſſet Clemens; qui, inquit, omni fulget virtute, quæ ſita eſt in memoria honeſti, & obliuione inhoneſti.

Ars quædam eſt imperandi, hominum aduerſos mores tolerare; nec verberibus ſæuire, ſed tolerando & mulcendo in ſuam ſententiam adducere. Feræ cicurantur cibo & blanditijs; turpè proinde homines metu & aſperitate morum ad noſtri amorem cogere.

Athenienſes Miſericordiam colebant Deam, vt Principes ſcirent, ſe diuina etiam præſtare cum miſericordes eſſent. Apud Claud. Theodoſius Honorio.

Sis pius inprimis, nam cum vincamur ab omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Quando Ocymi plãta ſub patina, mulier obſonium amat, & attingere nõ audet. Ita cibi amorem, & animi arguit timorem.

Apud Ægyptios eſt etiam ros Clementiæ Hieroglyphicum, nam ſicut ex rore fit mel ſanis ad paſtum, infirmis ad Medicinam, mortuis ad conſeruationem cadaueris, ita per Clementiam omnia bonorum genera ſeruantur.

Porrò incunabula Clementiæ in duobus iræ remedijs poſita ſunt, in mora, ideò ligatæ ſecures Romanorum & in ſilentio ideò Theodorus Philoſophus monebat Auguſtum, vt cum in iram incideret, nihil prius, quam Alphabetum Græcum recitaſſet, ageret.

Apud Perſas olim ita miſericordia colebatur, vt num-

numquam ante reus in iudicia damnaretur, quam de eius virtute ageretur, ne crimen plus ad ſupplicium, quam virtus ad pręmium videretur habere momenti. Et vero nemo tam peruerſus eſſe videtur quin ex aliqua parte poſſit laudari, ideo nimis eſt acerbum ſupplicem á ſe excludere. Ita ſenſit Xenocrates Carthaginenſis. Nam cum aliquis in aprico ſederet, & paſſer, quem ad prædam inſectabatur Accipiter, ei in ſinum deuolaſſet, ille paſſerem, quem cum hilaritate exceperat, ſtatim vbi auolauit accipiter nudato ſinu dimiſit, inquiens, ne fas eſſe ſupplicem prodere.

Contra de Tyrannide & Sæuitia.

Dionyſius Tyrannus dicebat duo eſſe adamantina Regnorum vincula, timorem vireſq; armatas; & conſequenter præſidium decem millium ſtipendiariorum barbarorum, quod filio reliquit. Sed didicit, non eſſe illa valida ad imperij diuturnitatem. Ideo bene dixit quidam, *Pulchram eſſe rem Tyrannidem, ſi careret exitu.* Ab omnibus Tyranni occiduntur.

Ab Vxore. Thebas Alexandrum Pheræum maritum occidit, quod viuos homines ſepeliret, & nonnullos pelle apri aut vrſi intectos canibus obijceret. Plutarchus.

Timoleon manſuetiſſimæ naturæ vir fratrem, antea ſua manu in prælio ſeruatum, cum factus eſſet Tyrannus occidit.

Ariſtomachus Argiuorum tyrannus à ſeruis ſuis domeſticis occiſus eſt, poſt multas alias conſpirationes euitatas.

Ipſi ſeipſos dum viuunt occidunt, & peiora morte patiuntur.

Maxima Imperij propugnacula, vno mortalium odio expugnantur;

Ariſtippus Ariſtomachi ſucceſſor, ſuis cuſtodibus diffidens clauſus cænabat, & dormiturus mobili ſcala cubiculum aſcendebat, ibique cataractis demiſſis, concluſus lectum in ipſis componebat, & concubinæ ſuæ matrem, ad ſcalam alio loco claudendam mittebat donec orto ſole ipſam, tyranno vocato, reponebat, ac tunc ſerpentis inſtar è ſua cauerna mane prodibat. Occiſus tamen fuit.

Quæ autem cauſa tanti odij? eſt mala vita Tyrannorum. Ideò cum in coniuratione contra Neronem captus eſſet SutriusFlauius tribunus, & interrogaretur, quibus de cauſis ad obliuionem ſacramenti proceſſiſſet, oderam te, inquit. Nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari, meruiſti; odiſſe cepi, poſtquam parricida matris, & vxoris, auriga ſuſtrio, & incendiarius extitiſti. Qua voce nihil grauius auribus fuit Neronis, vt ſcribit Tacitus.

Aliter Auguſtus, cum eſſet anxius ipſe inſidias ſibi ſtructas, etiam à Caio Cornelio Cinna; nec auderet occidere, quia editis cædibus non tutior futurus; nec dimittere impunitos, Liuia age inquit Clementiā plus proficere, quam ſæuitiam iudico. Si clemens fueris ipſe te & amici eius colent. Multa medici mitibus medicamentis ſanant. Tu hominibus non belluis im-

peras,

peras, eorum beneuolentiæ conſequendæ hæc vna ratio eſt, ſi credant non à volente te ſe lædi, cogi homines ad metuendum poſſunt, ſed ad amandum, opus eſt perſuaſione. Periculum hodie fac. Auguſtus Liuiæ conſilium ſecutus pepercit Cinnæ, & illum cum Val. Meſſala conſulatu donauit eoque facto ita ſibi omnium animos deuinxit, vt nullæ illi amplius ſtructæ inſidiæ fuerint.

Omnino adhibenda induſtria eſt, vt inueniamus occaſionem mutandę crudelitatis in manſuetudinem.

Alexander M. monitus erat oraculo, vt eum, qui ſibi porta egreſſo, primus occurriſſet, interfici iuberet. Sortè obuiam habuit Aſinarium, quem cum rapi ad mortem imperaret, illeque ſe innocentem proclamaret, inquit Alexander, ita præcepit oraculum. Tum Aſinarius, ſi ita, inquit, eſt, ô Rex, alium ſors huic morti deſtinauit; nam aſellus, quem ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectatus illo callido dicto Alex. accepit occaſionem expiandæ religionis in viliore animali.

Ne tamen nimia ſit clementia.

Cum enim nimis remiſſe Princeps imperat, addit delinquendi illecebram, & fit noxia clementia.

Cum legati Anglici nimium extollerent ſui Regis clementiam apud Diæ Comitem, prouidendum, inquit, eſt ne nimia lenitate ſoluto imperio, mali magis

inſoleſcant, quam boni ad officium excitentur. Georg. Bucchan. Et Cleomenes dicente quodam oportere bonum Regem omnino mitem eſſe, eouſque, inquit, dum contemptui non ſit. Cum nimia ſeruatur humanitas, regendi frangitur auctoritas. Vbi hebeſcit acies auctoritatis, ibi creſcunt ſcelera, nocent exempla, rerum ſequitur confuſio. Salutaris eſt nonnunquam ſeueritas. Vbi per iniuſtitiam multis impune abit, virtus euaneſcit. *Sit clemens ſeueritas, & ſeuera clementia.*

Præceptum Clementis Iuſtitiæ eſt. Omnia ſcire, non omnia perſequi, paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare; non ſemper pœna, ſæpè pœnitentia contentum eſſe. *Ignoſcere pulchrum*
Iam miſero, pœnæque genus vidiſſe precantem.

Claud. *In tempore & loco Clementia adhibeatur.*
Sit moderata libertas, & moderata ſeruitus

Corn. Tac. Nimirum æquitate, quam ſanguine, cauſa quam armis, retinere parta maioribus mauult Princeps.

Lepida exempla Clementiæ.

Cum quidam ſenex videret Pontificem ſumma cum pompa ex arce S. Angeli egredientem, cepit, effuſe ridere. Rogatus cauſam, cum vix mouere linguam poſſet, rideo inquit, quod S. Petrus tam vilis & pauper eſſe voluerit, vt tam ſplendidos haberet ſucceſſores. Nemo iniquo animo tulit, nec Pontifex.

Sixtus

Sixtus IV.cũ vicitaretur à quodam fratreFranciſcano olim ſibi familiariſſimo,varias ipſi gẽmas in conclaui ſuo oſtendens dixit; ecce, inquit frater, dicere iam cum S. Petro non poſſum Aurum & argentum, non habeo. Neque etiam, inquit, ipſe dicere cum Petro potes Claudo, *Surge & ambula*.Non fuit offenſus Pontifex, & ipſemet alijs retulit.

Raphael pictor Romæ excellentiſſimus, in tabula pinxerat DD. Petrum & Paulum, quos cum præter alios duo Cardinales vehementer admirarentur dicerent tamen paulo nimis eſſe rubicundos, tum pictor, quia inquit in cœlo iam ita rubent, quod eos pudeat videre tales in Eccleſiæ gubernaculis nihil illi coniuncti ſunt.

Quidam Italiæ Comes cuidam reo cum flagellaretur dicebat, procede citius, cui ille, tu, inquit, cum flagellaberis incedes vt vites, ego nunc vt volo incedo. Nihil ille commotus eſt.

Cum duo milites inter bibendum male de Pyrrho locuti, eſſent ad illum addicti,rogarenturque an male de Rege locuti eſſent, ita, inquit vnus & niſi vinum defeciſſet, vlterius progreſſi fuiſſemus. Diſſimulauit rem totam Pyrrhus. alias, inquit, cautius de veſtris Principibus loquimini, nam etiam cum eiuſmodi eſt Sermo, auſcultant parietes.

CLAVDII CÆSARIS.

Generis Virtus Nobilitas.

NOBILITAS eſt claritudo Generis à Summo Principe familiæ alicui propter virtutes Reip. ſalutares & egregia facinora in perpetuum collata. Dicti Nobiles quaſi noſcibiles, quod eorum familia in Rep. ſit clara, & illuſtre nomen, & ipſi ſint cæteris notiores. Oritur Nobilitas à virtute, ſeu militari ſeu Ciuili. Æquum eſt ijs aliquam excellentiam inter alios concedi, quorum virtute cæteri ſeruati ſunt & aucta Reſp.

Transfunditur etiam. Horat.

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Permultum refert quo quis genere ſit ortus. Nam teſte Platone, ineſt parentibus vis quædam admirabilis & occulta propagandæ virtutis & in ſtirpem quaſi deriuandæ. Certum enim eſt meliora ex nobilium ſatu ingenia oriri, quam hominum vulgarium; quo ipſo excelſitas quædam & generoſitas eorum animis ingeneratur,

neratur, & morum ſimilitudo, & maieſtas heroica vna cum ſemine propagatur. Ex bono ſemine boni naſcuntur fructus. Plutarcho teſte Vlyſſis virtus cum ſemine Thelemacho filio quaſi inſtillata fuit, quaſi paternę virtutis bona ad paucas ſanguinis guttas confluxiſſent in plantis atque arboribus ſeminum & ſurculorum diligentiſſima ratio habetur; quidni maior in hominibus?

A natura hominum generi datum eſſe Cicero affirmat vt qua in familia laus alia floruerit, hanc qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſime perſequantur. Hinc poſteri illi, quorum maiores præclarorum ſtudiorum gloria floruerunt, dedecus horrentes maximarum Artium ſtudia ſequuntur. Si rei militaris ſcientia claruerint, militiam colunt &c.

Hic de Politica Nobilitate agimus.

Eſt illa Generis ornamentum, εὐγένεια ab Ariſtotele vocatur. Proprie, *eſt ſanguinis & familiæ hæreditarium decus, per antiquam ſeriem continuatum politico inſigni honeſtatum ordineque diſtinctum.* Ex hoc ordine tanquam ex fonte virtutis, (ita enim nobilitas comparata eſſe debet) omnes fere virtutes in Remp. profluxere.

Cic. pro Seſtio. Omnes boni ſemper Reip. fauemus, & quia vtile eſt, Reip. Nobiles eſſe homines dignos maioribus ſuis, & quia valere debet apud nos clarorum hominum bene de Rep. meritorum memoria, etiam mortuorum.

An expediat Principibus & Regibus habere & fouere Nobiles in Rebuſp. ſuis.

Quæſtio hæc Politica eſt. Multi omnem Nobilitatem extinctam volunt, & omnes in Rep. pares.

Turcarum Imp. omnes ſupremos etiam Baſſas tanquam mancipia habet, nec vllam Nobilitatem agnoſcit. Præcipua apud eos felicitas eſt, gratum eſſe domino. Eiuſmodi Imperiū multis placet; & tutum videtur omnes poſt principem ſeruos eſſe aut pares, nullum Nobilem cenſeri. Idem obtinet apud Sinas: item apud multas hodie Reſp. Heluetios, Hollandos &c.

Omnes, inquiunt, pari ſorte, naſcimur, ſola virtute diſtinguimur. Qui genus iactat ſuum, aliena laudat. Multi Nobiles improbi ſunt.

Si improbus ſis erubeſce; non ſi ignobilis. Genus tuum ſunt illi, qui putruerunt, forte fures, adulteri, omnes limum habent auctorem, ſeu purpura & byſſo veſtiantur, ſeu egeſtate & morbis alterantur. Diſtinctionem officiorum eſſe volunt, non ordinum nec ipſæ apud Turcas Imperatoris concubinæ ſunt liberæ. Omnes ſeruiunt vnus eſt Dominus.

Heluetij & Argentoratenſes omnes Nobiles à magiſtratibus & officijs ſubmouent; imitati veterem ſtatum Democraticum Athenienſium.

At vero aberrare mihi videntur illi, qui omnes pares volunt, nullōs primos, medios, vltimos in Rep.

Illi

Illi perinde faciunt, inquit Bodinus de Rep. Lib. 3. atque ij, qui hordeum, frumentum, milium omniaque alia, legumina in vnum aceruum confundunt, & ſingulorum, & vniuerſi aceruum perdunt Et ſane omnino fouenda & augenda Nobilitas eſt. Id rationibus his conuinco.

I. Ratio. In omni Rep. bene conſtituta Nobilitati ſua dignitas fuit. In Rep. Iſraëlitarum erant Principes Iſraël. Hoc eſt Nobiles & optimates. Apud Ægyptios erant varij poſt Regem Ægypti Principes. Apud Perſas & Medos Magi.

Cum Nabuchodonoſor ſeptem annis beſtiæ vitam egiſſet, tandem regno reſtitutus, vt eſt apud Daniel. 4. optimates, inquit, mei & Magiſtratus requiſierunt me. Sane nobili erant & non ſeruili ingenio, qui amiſſo Rege omnia 7. annis gubernarunt.

Habuit Macedonia Nobiles; habuit Græcia; & Athenis Magiſtratuum gerendorum illis cura dabatur.

In Germania Imperij fulcrum eſt Nobilitas; & vtinam concors eſſet.

In Gallia Nobiles bella gerunt & Remp. adminiſtrant. In Hiſpania Nobilium ſunt præcipuæ partes in tam vaſto regno, & creſcunt quotidie.

Britanniæ Regnum hactenus nobilium labore & cura ſtetit.

Præcipuè vero PoloniæRegnum, vbiNobilitas populoſiſſima eſt, & magnæ in Rep. eminentiæ.

Apud Venetos; nulla nauigatio ſine Nobilium Comitatu. Ideo ſancita lege, etiam adhuc ſeruatur vt cuiuſque triremis Nauarchus, octo Nobilium pueros ad quamcunque partem proficiſcatur, cum ſeptuaginta nummorum aureorum ſtipendio, ſecum ducat, & victui neceſſaria, qualia habere Nobiles decet, impertiatur, & quater mille libras aromatum ſine nauali ſolutione importare ſingulis permittat. Hi pueri ex multis ſupplicantibus àSenatu eliguntur per ſuffragia.

Greg. Tholaz.

Secunda Ratio, quod Tyrannis, ſit exoſa Nobilitas eminentes ſpiras tollere vetus eſt ſcitum tyrannidis. Turca occupatis regionibus Nobilitatem exſcindit. Seditioſi in Lib. Rep. Rom. nihil aliud quam Nobilitaté opprimere volebant. Poſtea Tyranni, tollere vniuerſum Senatum volebant.

Factũ Tarquinij ſuperbi in Gabios per decuſſa papauera.

Cur Tyranni Nobiles oderunt? Quia omnia ſibi & in omnes licere volunt, volunt metui, & propter ſcelera ſua apud Nobiles erubeſcunt. Nobiles obſiſtunt eorum libidini, & ſeruiliter ſubijci nolunt. Princeps bonus illos amat, quia eos habet fidos ſibi miniſtros, & in Rep. regenda auxiliatores.

Tertia Ratio. Bello neceſſaria eſt Nobilitas. Quia Nobiles ſunt fideliores, & fortiores prudentiaque bellica præſtantiores. Seruiles dextræ non facilè toto pe-

riculo

riculo pugnant, facilè corrumpuntur, leui metu fidem deſerunt, aut pretio. Nobiles iu mortem ruunt vltro pro conſeruanda vel augenda proſapia. Facilius illis fides habetur ſi deditio fauenda &c.

Dic Nobilem, nebulonem, infidelem, timidum fugacem ſtatim educet gladium, in duellum vocabit, enſe litem ſecabit; ſummum flagitium eſt Perfidia & timiditas.

Etiam Nobiles maxime excolunt rem & prudentiam militarem. Hoc eorum eſt opificium.

Hoc etiam ſentiunt, Hollandi, apud quos bello Nobiles præficiunt, etſi domi conſiliarij ſint plebei.

Nobiles olim dicti ſunt milites, & gladium geſtant, & ius armorum habent.

Qui noui ad dignitates veniunt facile inſoleſcunt & Remp. depopulantur.

In bello ſumma opus eſt auctoritate, vt imperetur armatis, & tam difficilia præcipiantur, vt ſtare in acie &c. Tribuni autem & centuriones, ſi Nobiles ſint, plus habent auctoritatis, quia tota familia domi in dignitate & imperio verſatur, & ab illis plura ſperantur.

Ideo requiritur vt belli Duces ſint genere illuſtres ſi ignobiles ſint, hoſtes deſpiciunt, illis ſubijci milites vix volunt. Ipſa ad imperium & militiam nata nobilitas eſt. Iuuare milites poſſunt.

Quarta Ratio. Vbi nulla Nobilitas eſt, tota Reſp. in vno vnius Regis corpuſculo periclitatur. Vbi Nobiles ſunt, vix eſt periculum externi Imperij, & cum Princeps occubuit, Nobilium animi, & manus regnum ſuſtentant. Ignobiles ſunt tumultuari, prodere, vix proditio cuius nō auctor ſit aliquis ſordidus.

Regnum Macedonicum diu ſtetit, quia multos habebat Alexandros. Vtinam non inter ſe commiſſi!

Perſicum Imperium occiſo Dario concidit; cum enim iam corrupta eſſet Nobilitas, omnes ſerui & adulatores nemo reſtitit.

Fatetur Machiauellus, inimicus Nobilitatis occiſo Turcarum Imperatore neminem eſſe timendum. Res docuit capto Baiazete à Tamerlano, nemo enim de imperio reſtituendo ſpem concepit. Calepinum Baiazetæ filium, proceres Græciæ infenſi Paleologo Imperatori, armis milite & pecunia iuuerunt, & quodam modo Imperium reddiderunt.

Machiauellus ait, regnum facilius teneri, in quo omnes ſeruiunt; faciliùs occupari, in quo multi ſunt Principes. Sed experientia refutat.

Lud. XI. Oliuerum dandū miſit Legatū ad Mariam Principem Belgarū; ille quia non

Poſtrema Ratio. Nobiles ad omnia Reip. munera ſunt aptiores & conuenientiores. Patet.

Intereſt ergo Principum familias Nobiles & antiquas conſeruare. Varij ſunt modi, vel aſſignando tenuioribus fortunæ Nobilibus cenſus annuos, vel aſſumendo

mendo, ad publica officia, vel matrimonijs ditioribus copulando. Nam odioſa & probroſa eſt in Nobilibus paupertas Horat.

Et Genus & virtus niſi cum re vilior alga eſt.

Traianus obſcurari Nobilitatem non eſt paſſus: Sed maxima Regum Poloniæ hic laus eſt; qui cum plurima olim bella cum Tartaris alijſque Barbaris geſſiſſent, plurimoſque vidiſſent Nobiles magno patriæ & Regis amore vitam profundere in prælijs ac ſuo ſanguine victoriam comparare.

Pius II. antea Æneas Sylmus, Cæſaris Legatum tanquam obſcuriorem dignitate Legationis, remiſit, & clariorem ſibi mitti poſtulauit. Ratione honeſta & æqua ducti ditiones, ciuitates, pagos, dignitateſque plurimas eum in finem deſtinauerunt, vt qui ex indigenis operam & ſtudium ſuum Reip belli vel pacis tempore probarent, eis feuda eiuſmodi (capita neatus vocant) tanquam in præmium conferentur, & eiuſmodi exemplo regum & liberalitate alij ad virtutem bellicam excitarentur.

Et vere Principes imprimis perſonarum Nobilium ſi egeant habere rationem debent.

Sic Auguſtus ne clariſſima familia extingueretur Hortalum Hortenſij nepotem pecunia iuuit vt vxorem duceret.

Tiberius Æmilij lepidi & M. Seruilij Nobilitatem iuuit.

ſor & Medicus erat, non placuit; ideo Mar. aquid mihi opus Medico, cũ optime valeam.

Romæ ex Senatu nobiliſſimo legati aſſumpti, & nobiliſſimi quiq; miſſi, teſte Liuio.

Ad Attalũ miſſi quinque vnus bis conſul 2. Pratorius 3. ædilitius; 4 & 5. Quæſtores omnes nobiliſſimi.

Gratioſa apud omnes nobilitas eſt nobilitati omnes fauent inquit Cicero.

Nero Senatorum cuique nobiliſſimo, ſed à re familiari deſtituto annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit. Súadet hoc omnino ratio, vt ſcilicet in quibus virtus multoties probata aſſurgere non poteſt, ijſdem benignam manum Principes porrigant.

Ideo tot nobilibus conceſſa priuilegia, quia pro Reip. ſalute excubant, in bello vitam periculis exponũt, ſunt membra Principis. Pro populo curas ſubeũt.

Apud Ægyptios nobiles Calaſyri qui arma tractabant, duodecim aruras immunes habebant. Arura erat centum cubitorum circumq́ue.

Baſilius magnus Rex Ruthenorum ſeu Moſcouitarum, durus quidem erat in nobiles, quos ſumptu proprio volebat adeſſe ſibi in Aula, legationes obire, bellum gerere, tamen filios Nobilium tenuioris fortunæ quotannis certò aliquo ſtipendio aſſumebat.

Sed ſciant Nobiles.

Nobilitatis fundamentum virtutis radicibus innixum ſuſtentari Et quidem nobilitas virtute deſtituta ne intelligi quidem poteſt.

Sicut enim materia ad ſimulachrum ſculpendum apta ſignum tamen non dicitur, niſi forma artificis induſtria acceſſerit, ita ortus niſi virtute excultum hominem non profert.

Cyrus, vt refert Xenophon, cum adhuc eſſet puer adeò ad cupiditatem laudis exarſit, vt pro ea omnia

ſibi

ſibi ſubeunda duceret, ex quo motu facile erat futuram eius virtutem augurari.

Nobiles ſine virtute comparari templis Ægyptiorum poſſunt, forinſecus erant pulcherrima, ſplendida ſumptuoſis lapidibus, extructa, intus aut hircus, aut felis, aut ſimia colebatur.

Nobile eſt, quod ex bono genere profectum eſt. Generoſum eſt, quod ſua natura non degenerat. *Ariſtoteles.*

Equites Romani aliquando omnes annulum exuerunt moti indignitate, quod nobilitas ei conferretur qui indignus eſt, ac ſine vlla virtute.

Prohibitum per Senatum Scipionis filio, ne Annulum, in quo patris erat effigies, geſtaret, quod ab illo degeneraret.

Democritus rogatus quid eſſet nobilitas, Reſp. pecudum quidem in valido habitu corporis, hominum in virtute, & morum bonitate.

Plato neminem regem non ex ſeruis oriundum, neminem ſeruum non ex regibus.

Vnum in Rep. cauendum circa Nobilitatem.

Ne nimirum nobiles plebecula abutantur, & nimia ſeruitute premant. Nec in præiudicium plebeiorum fauere illis Reges debent.

Nam inde oritur nimia plebis in nobilitatem inuidia vel conſpiratio. Inconſultus cum ſit populi furor, malo ſæpè exitu res terminatur.

Anno

Anno 1507. Genuenſes pulſa Nobilitate ſtatum popularem induxerunt, & Paulum Nouium immodico populi fauore ad ſummum honorem euexerunt eos tamen Rex Ludouicus armis ſubegit, & Nouium capite plecti iuſſit; etſi non effecerit vt Ciuitas Dominos mutarit.

Anno 1514. Plebei in Nobiles, quorum iugum ferre non poterant, conſpirarunt Duce Georgio Sichelio homine audaciſſimo magnaſque ſtrages ediderunt nobilium, diuitum, matronarum ſacerdotum, oppidorum &c. Cæſi tandem à Ioanne Vaiuoda, & Sichelius excarnificatus.

Præcauit Rex Poloniæ Caſimirus in Comitijs apud Leuciciam 1480. Tunc enim abrogata eſt, inueterata conſuetudo & corruptela Nobilium erga plebem. Illi ita facietes agros & prata depaſcebantur, victum omnem imperabant, horrea & cellas effringebant; quantum volebant auferebant &c. Epiſcopi vſi ſunt Anathemate in eos. Inuadebant poſſeſſiones morientium Epiſcoporum & Sacerdotum.

Omnia tunc lege prohibita cum iam populus tacite in rebellionem conſpiraret.

SERGII SVLPITII GALBÆ IMPERATORIS.

Miles legendus non emendus.

IMPERATOR SERGIVS SVLPITIVS GALBA, plurimorum & maximorum bellorum Dux fuit; cuius in diſciplina militari tanta ſeueritas fuit, vt cum caſtra ingrederetur, timore quodam milites corripiebantur, illudque vulgabatur.

Diſce Miles militare, Galba eſt, non Getulus.

Nam ipſe milites ſuos aſſiduo opere exercebat & corroborabat, memor eius, quod Vegetius ſcribit,

Qui victoriam cupit militem imbuit diligenter Imperator.

Huius Symbolum fuit. *Miles legendus, non emendus.* Ita refert Dion. Sentiebat Imperator ille, *vtendum eſſe proprio milite & indigena; non mercenario*, quod in eo vera fortitudo eſſe non poſſit, qui quæſtum ſuum & licentiam ſpectat.

Diſſertatio.

Duæ olim maximæ & potentiſſimæ florentiſſimæque Reſp. toto Orbe Carthaginenſis & Romana diuerſæ hac in re opinionis fuerunt; Carthago milite

Peregrino vſa eſt; Romā Ciue, & hæc orbi terrarum iugum impoſuit.

Non improbabo Symbolum Galbæ: & legendum potius ex ſuis militem dicam, quam aliundè emendum. Agite hoc Probemus hoc ſaltem optimum eſſe, ſi fieri poteſt.

Vegetius Lib. 3. vtilius, inquit, conſtat armis erudire ſuos, quam alienos mercede conducere.

Lucanus.

Nulla fides pietaſq; viris qui caſtra ſequuntur
Venaleſque manus; ibi fas, vbi maxima merces.

Claudianus. *Perdurat non empta fides, nec pectora merces alligat.*

Et ſane qui pro nobis pugnaturi ſunt, ita amici eſſe debent, vt in rebus ſecundis Imperatori non ſint inuiſi, neque in aduerſis eum prodituri, vt inquit Xenophon Lib. 2. de Pædia Cyri; at milites mercede conducti non ex amore in patriam pugnant, & minus ſunt conſtantes. Si nulla ſpes affulgeat victoriæ, detrectant pugnam & reſiliunt. Pro mercede agitur, non pro ſalute vxorum vel liberorum. Ciues contra, & ideo fortitudinem colunt & fidem.

In pugna contra Phorenſes, qui erant ciues Coronenſes conſtanter ad finem vſque perſtiterunt, mercenarij Bœotij poſt primum impetum fugam ceperunt.

Poloni multas victorias ex Suecis ſuo milite reportarunt.

Vnde Machiauellus ita diſſerit, Imperio in armis mercenarijs conſtituto qui præeſt, nihil firmitatis, nihil ſecuritatis habet. Cauſam addit, quia mercenarij nec beneuolentia, nec vlla alia cauſa in caſtris retinentur, quam ſtipendiolo, quod profecto non ſatis

eos impellere poteſt, vt pro alio mortẽ ſibi appetendã putent. Cupiunt quidem in exercitum adſcribi, at, vbi cum hoſtibus eſt congrediendum, aut fuga aut diſceſſu ſibi conſulunt.

Teſtes nobis ſint Carthaginenſes, qui ſtatim à primo contra Romanos confecto bello parum abfuit, quin à militibus mercenarijs fuerint oppreſſi, etſi ciues ſuos copiarum haberent præfectos.

Et Sfortia Franciſci Sfortiæ pater cum Ioannæ Neapolitanorum Reginæ ſtipendia mereret, repente illam ita inermem reliquit, vt, ne regnum amitteret, in Aragoniæ regum ſinum refugere ſit coacta.

Deinde externi bellatores qui mercede in Patriam inducuntur, eam explorant, vires, fertilitatem, opes, non vt iam defendant, ſed vt alias oppugnent.

Non ignota eſt clades Britannorum. Illi è Germania aliquando AngloSaxones mercede conductos aduerſus Pictos & Scotos in auxilium euocauerunt.

Parta victoria & hoſtibus pulſis, iſti Anglo Saxones Britanniæ amœnitate & fertilitate illecti eam vi occupauerunt, igne deuaſtauerunt, Regem cum omnibus Præfectis & Magiſtratibus vita ſpoliarunt, & poſtmodum Inſulam, quæ Britannia dicebatur, de ſuo nomine Angliam appellauerunt.

Student ſuæ vtilitati, non alienæ inſeruiunt; ſi premat hoſtis, aut victoriæ laudem prædamque ſibi

Polydorus Virg. in hiſt. Anglicana lib. 3.

Philippus Macedo poſt mortẽ Epaminondæ factus à Thebanis Imperator victor libertatem eis ſuſtulit.

Mediolauenſes

Franciſco Sfort... cõtra Venetos, qui de victis hoſtibus ad ca-ra agiũ ſe Venetum contra Medicianenſes adiunxit.

tribuunt, aut fuga latebras quærunt.

Nihil præſidij in iſta promiſcua exterorum multitudine, niſi aut neceſſitate, aut ſummo imperio contineantur, & incidere poteſt tempus, cum ipſorum furor & repentinus impetus valde eſt, pertimeſcendus. Vt ait prudens *Cominæus*.

Si ſtipendia non ſoluas, querimoniæ quotidie, & nouæ petitiones; fiunt inuaſores, proditores &c.

Nec tantum luxum & otium cupiunt, ſed etiam laborem & diſciplinam aſpernantur, vt inquit Tacitus, refragantur, non iuberi, non regi amant verum cuncta ex libidine agere; ac potiſſimum cum nec præfectos, nec ſtipendia accipiunt ab eo, ad cuius auxilium ſunt miſſi, tum enim eius Imperium contemnunt, & omnia vaſtant.

Quare Therycione Delphi rediens cum videret anguſtias Iſthmi à Philippi copijs cuſtoditas, *Malos*, inquit, *Portarum cuſtodes vos habet Pelopomeſus; ipſi cuſtodes cuſtodibus egere videntur.*

Auxiliares conducti ex varijs locis nec diſciplina inter ſe, nec affectu conſentiunt. Nullus pudor flagitij, nulla cura Ducum eſt. Quam graues incolis &c.

Et tamen Cæſar Lib. 7. de Bello Gallico, non minus in milite modeſtiam & continentiam, quam virtutem & animi magnitudinem deſiderat.

Illi, vt inquit, Iſocrates, Meſſem ſuam in bellis

metunt,

metunt, & communes omnium hoſtes ſunt, vt occaſione data à nullo abſtineant.

Et plerumque quales ſunt? Audite Curtium, Purgamenta ſuarum vrbium, aſſueti latrocinijs, bellorum inſolentes, quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces; denique quæ honeſte nominari non poſſuut, inhoneſtiſſima ſunt quibus nec in victoria decus eſt, nec in fuga flagitium.

Affirmabo cum Iſocrate à conductitijs exercitibus plures proditos eſſe, quam defenſos Thicyd. Ea Reſp. facile vincitur cuius vires ſunt mercenariæ non vernaculæ.

Cum olim Ageſilaus Rex Lacædemoniorum Aſiam vaſtaret, interim Perſæ, pecuniæ corruperunt Athenienſes, Bœotijs, Argiuos, Corinthios, qui conſpiratione inita, Lacædemonios oppugnarunt, ita vt ad patriam tuendam Ageſilaus reuocaretur; qui rediens per iocum, ait, ſe triginta ſagittariorum millibus Aſia expulſum eſſe, alludens ad imaginē Perſici numiſmatis.

Philippus Macedo filium Alexandrum monebat, ne eos ſibi fidos putaret, quos ſibi pecunia corrupiſſet. Fit enim deterior qui accipit, & ad idem ſemper expectandum paratior, teſte Tullio.

Quicquid tamen ſit, nullam fere Remp. hodie videmus, quæ non externo milite vtatur. Id itaque non temere condemnandum. Videamus ergo modum, ipſum

Optandum quidem eſſet, vt Reſp. ſolis ſuis ciuibus vt[illegible]

terentur, ſed fieri nō poteſt; nec quærimus quid abſolute optimum ſit, ſed quid fieri poßit.

ſum vtendi mercenarijs; & occaſiones conſideremus.

Videmus hodie Imperatorem aduerſus Turcas non panuonico tantum & Germanico milite vti, verum etiam Italo & Franco, maximeq́ue id ad victoriam conducere; quia nimirum omnes aduerſus hoſtem illum communem ſocij ſunt, & pro Chriſtiana Religione eodem áffectu pugant.

Romani quoque olim ex omnibus prouincijs Regum & Sociorum delectum agebant, & auxilia recipiebant. Moderate tamen auxilijs eſt vtendum. Veneti Ducem è ſuis mari præficiunt; militi mercenario terreſtri per ſuos ſtipendia ſoluunt, ſocios & conſilia Duci adiungunt, ipſi è Curia bella dirigunt eaque maxime trahere cupiunt, vt ſumptu fatigent hoſtem, nec facile in prælij diſcrimen rem conijciunt.

Præterea, Auxilia à potentiore ſuſpecta ſunt, niſi ille fidus ſit. Hodie Ferdinandus II. Imp. auxilio Hiſpani vtitur, ſed ambo Catholiciſſimi, cognati, affines; ideoq́ue nihil per eum amittit.

Et poſſunt peti auxilia ab ea gente, cui publice priuatimque fœdera iuraque ſunt ſancta.

Vocauerunt aliquando in auxilium Turcas Græci, & quidem Conſtantinus decem millia Turcarum, ſed illi victores excedere recuſarunt, indeq́ue cauſæ multarum calamitatum.

Nemo proinde Chriſtianus aduocet Turcas, Tartaros,

ros, Moſchouitas &c. Nullum fœdus ijs ſanctum eſt. Adhibendi quidem aliquando externi, ſed ne numero Domeſticos ſuperent. Si ſuperent, (ita poſtulante neceſſitate) ne ſimul iungantur, ſed in diuerſis ſint locis. Periculum alioqui conſpirationis.

Cum Scipio in Hiſpania plus alieni roboris, quam proprij haberet, conduxiſſetque pecunia Celtiberos, ab ijs oppreſſus eſt, cum illos hoſtis alia pecunia corrupiſſet.

In bellis Ciuilibus plerumque externo milite vtuntur; olim Pompeius Aſiaticos, Cæſar Gallos & Hiſpanos habebant. Cæſares item poſtea. Hodie in Belgio Germani, Galli, Angli, Scoti, Itali, Hiberni, Epirotæ, vt libertatem ciuiũ præſidio externi militis tueantur.

Etiam Hollandi præſidia habent Gallica & Anglica vt ſuos in officio contineant nullo modo id facturi niſi id conducere arbitrarentur contra motus internos & bella externa.

Mirum illud conſilium Cyri, qui non ex Ciuibus legendos milites, ſed velut optimos equos è longinquo quæri oportere dicebat.

Etiam Alexandrini nullos milites niſi peregrinos admittebant.

Romani econtra, vt proprio milite abundarent, in fœdere quod cum Antiocho percuſſerunt, cauerunt ne milites ſub ditione populi R. conducere aut voluntarios habere liceret. *Liuius 38.*

Quan-

Quando ij bello cum Pyrrho contenderunt, quamuis bis prælio victi, auxilia tamen à Carthaginenſibus miſſa remiſerunt.

Certe in Bello defenſiuo miles domeſticus mercenario externo præferendus eſt. Miſera enim eſt illa Reſp. quæ auxilijs inhæret alienis, & ſuam ſalutem extraneis hominibus committit, precarioque tantum imperat, quamdiu nimirum placet auxilia ferenti.

In Anglia& apud Heluetios, ſi bellum in patria gerendum ſit campanarum ſonitu congregantur.

Illud poſtremo notandum, quod cum neceſſitas cogit aduocare externos, ita ijs vtendum eſſe, vt non plus roboris ab illis ſit, quam à proprio milite. Membrum efficere debent non corpus.

Nec refert quod in exercitu ex varijs nationibus compoſito accendi virtus æmulatione poſſit, hoc imbecillum eſt; idem fieri poteſt præmiorum pollicitatione, & modis alijs &c.

Modus legendi militem.

Hodie non alius eſt, conquiſitores publico dato ſigno ad expeditionem milites alliciunt; allecti nomina ſua profitentur, & partem ſtipendij accipiunt. Tum vero prius ſunt milites cum ſacramento militari ſunt obſtricti.

Non tamen ſine diſcrimine ex omni hominum fece ſunt conſcribendi.

Ferdi-

Ferdinandus Rex Hiſp. & Aragoniæ longa bellorum experientia doctus dicebat, delectus qui ex ignotis & vagis hominibus habentur, perniciem potiùs quam vtilitatem in Remp. inducere. Nam impuri, immodeſti, peſſimis exemplis famoſi accedunt, ex rapto viuunt, vicos & agros miſere vaſtant ruſticos & infimam plebẽ affligunt, ſcelera mille & immania patrãt.

Dicebat tamen idem Rex ſæpè parandas eſſe expeditiones, vt furibus, ſicarijs, ganeonibus &c. vt iuuentus Hiſpanica purgaretur, quæ iſtarum conſortio corrumpebatur.

Eodem conſilio Pericles Athenis quotannis claſſem ornabat; vt ſentinam improborum è naui Reſp. exhauriret.

Porro in legendo milite ſolet attendi patria, ætas, corpus, animus, vita.

Patria quidem, nam, vt ait Vegetius, Gens gentem in bello præcedit, & plaga cœli non ad robur tantum corporum, ſed & animorum plurimum valet.

Quicquid ad Eoos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

Et hinc cum locorum aſperitas ſoleat quoque ingenia indurare, volunt aliqui ſeptentrionales ad bellum aptiſſimos eſſe, quod largo ſint ſanguine redundantes, etſi inconſultiores.

Verum cum Principes fere tantum ſuis in Prouincijs de

Vegetius orientales magis ſiccati ſanguine indigentes amplius ſapiunt, ſed vulnera metuunt.

Lucanus.

Lucanus populi quos deſpicit Arctos felices errore ſuo, quos ille timorũ, maximum haud

vrget leti motus, inde ruendi in ferrum mens proua virus, animæq; capaces, mortis & ignauum eſt reditura parcere vita.

delectum faciant & milites conſcribant, vix attendi poteſt ex qua regione, ſed ex agris an ex vrbibus.

Et quidem ex agris ſeu rure delecti aptiores habentur, vtpote qui, laboribus magis aſſuefacti ſunt, minus autem laſciuiæ. Vrbani tamen etiam exercitio duri & ſtrenui fiunt. Et quidẽ durities in milite cõmendatur.

Nam bellicoſius ille miles, & neruoſus haberi debet qui ſudo & vdo cœlo aptus eſt, qui ad omnes labores impiger inuenitur; qui famem pro condimento, naſturtium pro cibo, humum pro cubili, arbuſtum pro tabernaculo habet.

Tyro, qui ad militiam conſcribitur, ſecundum Vegetium, debet eſſe vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore; humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperflua carne diſtentis, ſed neruorum duritie collectis.

Ex artificibus quoties prouecti ætate aſſumuntur, non deligendi ſunt piſcatores, aucupes, coci, textores, balnearij, comœdi, & ſimiles artifices rerum maxime *Vegetius* ad voluptatem pertinentium, Eligantur fabri, laniſtæ, ceruorum & ferocium ferarum venatores.

Duæ vero maximè notandæ conditiones in militibus requiſitæ. Ne inopes ſint, neu vagi. Et tamen hodie conſcribuntur viliſſimi quique ex ſtabulis, ex culinis, ex tabernis, calones, lixæ; vt non tam exercitus

colli-

colligatur, quam vilis hominum & ignauus numerus armis oneratur.

Ætas media,& iuuenilis, vegetaq;placet. Itē ſtatura.

Qui vno teſticulo caret,miles idoneus eſſe non poteſt vt habetBald.in lege milites. Poteſt tamen ſecundum reſcriptum Traiani,qui vno natus eſt,vel amiſit. Boni ſunt milites ſecundum Saluſt.in Iugurth. Qui nihil metuunt, niſi turpem famam.

Variæ Imperatorum opiniones.

Cæſar, militem neque à moribus, neque à fortuna probabat, ſed tantum à viribus.

Lacedæmonij non admittebant ad bellum, ſed in exilium mittebant craſſos & obeſos; quod officio militari officere crederent curam illam obeſi corporis & propendentis aqualiculi :apud eoſdem opprobrio erat corporis molem circumferre.

Hoc ipſum cum diſpliceret HenricoVI. Imperatori Dedo filius Conrardi Miſniæ Marchionis, à pinguedine dictus craſſus, vt Imperatorem ſequi in Apuliam poſſet partem adipis ſibi exſecari peritiſſimi Chirurgi induſtria paſſus eſt. Marius corpore grandes volebat.

Pyrrhus delectori ſuo dicebat, tu grandes elige? ego eos fortes reddam.

Valentinianus & Theodoſius Imp. edixerunt ne educerentur ex caupona, ex miniſtris tabernarum famoſarum, ex coquorum & piſtorum numero.

Serui olim non militabant niſi extremâ neceſſitate. Hinc ab Antonio, Octauio, Lepido, Triumuiris, de ſeruo inter numeros deprehenſo, ita ſupplicium ſumptum eſt, vt de rupe capitolina deijceretur.

Iulius Cæſar milites etiam vnguentatos bene pugnare dicebat. Suet. c. 67. Ita quidem inquit Caſaubonus non ad conſeruandam, ſed euertendam Remp. ſunt apti; & ab ipſis veteribus Romanis improbati. Sed Cæſar id moliebatur.

Idem milites auro & argento Politos amabat & habebat. Quod tamen alijs diſplicebat.

Illum imitatus Alphonſus Neapolitanus, exercitum habebat, quo nihil erat ſplendidius.

Quem irriſiſſe traditur Sfortia. Sicut olim Hannibal copias Antiochi auro & argento ornatiſſimas.

Miltiades cum x. millibus trecenta Perſarum millia fudit. Gedeō cum 300. infinitas hoſtium copias deleuit.

Videtur hoc etiam in delectu ſeruandum, vt pauci potius boni, quam multi inutiles conſcribantur.

Alex. Mag. cum xxx. m. peditum, & vi. equitum Regnum Perſarum vicit.

Romani totum fere orbem vnius vrbis viribus. Antiſtenes dicebat, melius eſt pugnare cum paucis bonis aduerſus multos malos, quam cum multis malis aduerſus paucos bonos.

Hinc illud Eraſmi in bello plus habet momenti quales ducas milites, quam quod multos.

Tacitus 14. Annal. In omni conflictu non tam prodeſt multitudo, quam virtus.

Scipio

Scipio Amiratus ſuggerit hoc conſilium.

Capiantur pueri, qui innocentes, Orphanelli, expoſiti, dicuntur, & alij eiuſmodi, & exerceantur in curſu, luctu, aſcenſu, deſcenſu, ſaltu, portatione ponderum, & proiectione, ſimul cum formidine, ſobrietate &c. Fore parua manu magnas victorias.

Totum robur Turcarum, quo occupauerunt totam fere Aſiam, maximam partem Africæ, & Europæ conſiſtit in 14. vel 15. millibus Ianiſſarorum, illo modo educatorum.

Seſo ſterRex Ægypti qui præclariſſimas res geſſit, omnes Ægyptios pueros educãdos tunc tẽporis aſſumpſit.

Philippus Macedo primus in Macedonia Nobilibus pueris in Macedonia vſus eſt, & ad rem militarem inſtruxit; vehementerque otioſos oderat.

Et illa cohors adoleſcentum inſtituta ab eo manſit vſq; ad tempora Perſei vltimi Philippi filij & omnibus perditis ſubactoque regno numquamRegem deſeruit.

Agricolarum præceptum eſt meliorem eſſe agellum bene cultum, quam latiſſimum neglectum.

Agis, cum pauci eſſent Spartani, interrogatus quot eſſent, tot inquit, quot improbis expellendis ſufficiunt.

Ariſto de ijſdem, tot quot hoſtibus vincendis ſufficiunt. Item. Permulti erunt, ſi cum illis pugnaueris.

Alexander cum orbis imperium affectaret, triginta millia puerorum educari & exercitari curauit.

SYMBOLVM.

AVLI VITELLII

Bonus odor hoſtis, melior ciuis occiſi.

CVI CONTRARIVM SYMBOLVM

ANTONINI PII

Melius ſeruare vnum, quam occidere mille.

AVLVS VITELLIVS, teſte Suetonio, cum Othone mortuo campos, in quibus pugnatũ, præterueheretur, animaduertit quoſdam è ſuis horrere cadauerum tabem ac tum deteſtabilem illam vocem protulit.

Optime olere occiſum hoſtem, ſed melius ciuem.

Ita refert Dion. Et inde hoc eius Symbolum.

Quid mirum? Idem alias inſolenter & nefarie gloriabatur *ſe ciuium cæde oculos paſcere, & animum exſaturare.*

Vox indigna Cæſare, ſed digna Tyranno. Vox dira & abominanda. Eiuſmodi voces ab iratis emitti ſolent, inquit Seneca.

Vox illa eius dira, ſed & fœda mors. Nam è latebra extractus à militibus fuit, & religatis, poſt terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum tractus, & inter magna rerum verbo-

rumque ludibria tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus & confectus eſt, inde vnco tractus in Tybrim.

Ille exitus Tyranni. Nullum Tyrannis ſecurum facit.

Antiſthenes Tyrannos carnificibus præferebat; hi ſontes, illi inſontes ſine cauſa perimant. Verè iuuenalis

Ad Generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci,
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

Dum timeri volunt, eiuſmodi exitum referunt. Quam ob cauſam Iſocrates monebat Nicoclem Regē Cypri, vt omnem ciuibus adimeret formidinem, nec ijs terribilis eſſet, qui nihil deliquiſſent.

Quamuis enim Regnum vi & armis plerumq; poſſit parari, tamen, vt dicebat Antigonus Rex Macedoniæ, non niſi honeſta opinione, fide beneuolentiaque ciuium poteſt retineri.

Vereri omnino ſubditi Principem debent; ſed, vt dicebat Muſonius, *conandum eſt Principi, vt, verendus potius ſit ſubditis, quam metuendus.* Illum enim grauitas ſequitur, hunc inhumanitas.

Eodem modo dixit Pythagoras; *malis eos qui tecum conuerſantur, vereri te, quam metuere*: ſiquidem reuerentiam admiratio, timorem odium comitatur.

Delectari ſanguine, & quidem occiſorum ciuium pluſquam ferinæ belluæ eſt.

Contra

Contra hoc Tyrannicum Symbolum.

Produco illud optimi Impetatoris Antonini Pij.

Melius ſeruare vnum, quam occidere mille.

Militi non licebat ex ordine recedere niſi ad ſeruandam ciuẽ.

Quod Symbolũ ſibi formauit ex dicto illo Scipionis Africani, *Malle ſe vnũ ciuem ſeruare, quã mille hoſtes occidere.*

Quare? quia Principes omnes, ita affici debent, ſicut Ageſilaus apud Xenophontem, qui ita dicere ſolebat, *ego etſi vehementer lætor hoſtium exitio magis tamen delector amicorum officio aut beneficio à me præſtito.*

Expreſſit hoc Seneca.

Extinguere hoſtem maxima eſt virtus Ducis,
Seruare ciues maior eſt patriæ patri.

Cauſam dat Pythagoras. Nam Princeps ideo creatus eſt, non vt lædat, ſed vt iuuet ſubditos.

Sen. in Hercu.

Eſt regis alti ſpiritum regi dare.

Ex quibus omnibus elicienda ſunt Politica aliquot documenta, quæ hoc Symbolum explicent.

Primum documentum ſit. Principem abhorrere à ſanguine fuſo debere, extra pugnam hoſtilem.

Hinc Theodoſius Imp. II. percunctantibus amicis cur neminem eorum, à quibus læſus foret, morti daret; vtinam, inquit, liceret mihi etiam vitæ reddere mortuos.

I. Cæſar de Bello Alexandrino. Nihil libentius facere debet Imperator, quam ſupplicibus ignoſcere.

Nero cum deberet ſubſcribere catalogo reorum duorum

duorum lattonum *Vellem neſcire litteras.*

Alex. Mag. cum Olympias mater importune apud eum contenderet, vt quendam innocentem morte, afficeret, quod ei diſpliceret. *Aliam*, inquit *mercedem mater poſtula hominis Vita nullo beneficio compenſatur.*

Illi offerebat Burrus Prætorio Præfectus.

M. Antonius, teſte Seneca, cum quibuſdam deprehenſis coniuratoribus ignoſceret, in frequentiſſimo Senatu proteſtabatur. *Vtinam multos alios ab inferis excitare poſſem.*

Cum Pollio Senator Romanus ſeruum ſuum, quod caſu vitrum criſtallinum fregiſſet, in piſcinam vt à piſcibus deuoraretur, conijci iuſiſſet, iſque inter eundum ad Auguſti Cæſ. pedes ſe abieciſſet, donauit eum Auguſtus poſt cauſam intellectam, libertate, & omnia Pollionis vaſa confringi curauit.

Certè cum de vita hominis agitur, *non licet hic bis peccare*, vt dicebat Laſymachus, de erratis bellicis: nec admittitur illud, *non putabam*, quod in Imperatore improbabat Scipio Africanus. Omnia examinanda priuſquam è vita ciuis exterminetur. Non ſtatim dicendum *I lictor, deliga ad palum &c.*

Nullus hic prætoriæ in integrũ reſtitutioni locus eſt. Exemplũ Theodoſij Magni, quem S. Ambroſius adiuti templi prohibuit, propter cædem Teſſalonicenſem innocentium ciuium.

Fuit Ptolomæus Ægyptiorum Rex, qui ne quidem

H dum

dum aleæ forum calefaceret, à ſceleribus feriabatur illi ludenti adſtabat puer, qui crimina reorum & accuſationes tanquam nomenclator ex chartula recitabat. Rex prout iactus ceciderat per iram duci iubebat inſontes, & lucro delinitus abſoluebat nocentes. Vxor Berenice ſemel marito eripuit è manibus pueri libellum, monuitque ne tam perfunctoriè ſententiam ferret de capite & vita miſerorum ciuium, tanquam ſi ageretur de capite papauerum, aut cucurbitarum. Non homines exſculpi è quercu, nec de publico ſuppetere vnde lucis vſura reparetur.

Non minus pudere Principem debet intueri multa ſuorum ſupplicia, quam pudet Medicum multa videre funera. Ouidius de Ponto.

Conueniens homini eſt, hominem ſeruare, voluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

Huic Symbolo affinis & cognata eſt illa ſententia in Iuris & Æquitatis officina vſurpata *Melius eſſe mille dimittere nocentes, quam vnum punire innocentem.*

Quam ſententiam re ipſa & facto comprobarunt ſummi Imperatores, Theodoſius, Arcadius, Honorius, qui Rufino Præfecto Prætorio ita reſcripſerunt, *ſe nolle quenquam de populo ſubiici pœnæ, qui procacitate linguæ aut maledicto in ſe peccaſſet. Quoniam ſi opprobrium ex leuitate proceſſerit, negligendum; ſi ex furore aut inſania, condolendum, ſi denique ab iniuria, remittendum ſit.*

Secun-

Secundum documentum eſt. Vt non tantum Principes nemini manus adferant, ſed etiam à ſuppliciorũ ſpectaculis oculos abſtineant. Sicut enim glorioſum eſt in eorum conſpectu præmijs & honoribus omnes affici, ita indecorum vita aliquos priuari.

Xenophon in Hierone. Cenſeo Principi ſic agendum, vt ſi quis eget correctione, hunc alijs puniendum tradat, cæterum cum præmia reddenda ſunt, his qui rem bene geſſerunt, id per ſe ipſe hoc faciat. Ita protinus fiet, vt in his quod gratioſum eſt per Principem ſit factum quod vero contra per alios.

Exemplum improbandum Caroli IX. Galliæ Regis, in cuius oculis Neapoli occiſi Fredericus & Conrardus Auſtriaci iuuenes.

Item Henrici III. Franc. Regis, in cuius oculis Rotomagi occiſi duo Nobiles, qui ad Guiſiũ deferebãt litteras

Tertium documentum. vt parta victoria Principes à ſanguine abſtineant, maxime ciuium.

I. Cæſar militibus ſuis fugientes perſequentibus acclamabat *Miles parce ciuibus.*

Sen. Nullum ornamentum Principis faſtigio, dignum pulchriuſque quam illud *ob ſeruatos ciues.*

Deuictis Athenienſibus Philippus Macedo non inſultauit ſed cogitans ſe quoq; hominem eſſe, inſtituit vt quotidie mane, *Philippe homo es.* Vt nimirum cogitaret id ſibi poſſe euenire.

Quia rerum humanarum quidam circulus eſt, qui non ſinit Reges ſerius eſſe felices. Lubrica poteſtas eſt.

Adeoq; etiam longe maior eſt gloria ſeruati, quam cæſi hoſtis; tantoque triumphus illuſtrior, quanto plures relicti ſunt, de quibus triumphetur.

Hinc Sigis, Imp. Laurentio Hungariæ Palatino ſibi exprobranti, quod victis hoſtibus vitam & opes relinqueret imo etiam inter amicos reciperet & extolleret. *Tibi*, inquit *Sigis*, *Videtur vtile inimicum occidere, quia mortuus bellum non excitat*; at ego inimicum occido dum parco; & amicum facio, dum extollo.

Hic de Croeſo capto. Ratio. Opes victi ſunt, victoris, non ergo deſtruendus.

Ratio Symboli Reges non huius partem vitæ & necis; inde. Adrianus Cæſar dicebat Imperium ſe ita adminiſtrare, vt ſciret Remp. eſſe, non ſuam.

Plato de Rep. Qui præſunt Reip. vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agunt ad illam referant, obliti commodorum ſuorum. Vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt.

Præferre Patriam liberis Regem decet.

SYM-

SYMBOLVM.

FLAVII VESPASIANI.

Lucri bonus odor ex re qualibet.

PEcuniam Reip. neruum eſſe, dixit aliquando Demoſthenes. Id dictum cum frequentiſſime in ore haberet Veſpaſianus Imp. pecuniæ conquirendæ ita ſtudioſus factus eſt, vt ex lotio vectigal inſtituerit & ex omni occaſione lucrum ſit odoratus. Cum vero quadam vice à Tiſo filio moneretur, vt ſui rationem haberet, nec ex re putida lucrum faceret, pecuniam ex prima lotij penſione collectam naribus eius admouit, ſiſcitans Ecquid ea puteret? Et illo negante, adqui, inquit è lotio eſt. Vnde factum eſt, vt ſibi hoc ſymbolum ſumeret, vt ſupra.

Faceta illa quidem vox eſt, ſed ſane peſtilens cui multæ ſunt affines.

Illa Plauti. *Omnes homines ad ſuũ quæſtũ callidos eſſe debere.* In Amario.

Illa Sophoclis. *Nullum cum lucro malum.*

Eiuſdem. *Dulce eſt lucrum etiam à mendacio profectum.*

Illa Euripidis. *Laudato iuſta, cæterum lucro hæreas.*

Illa Theodori. *Plus æquo habeas, laudato tamen quod æquum eſt.*

Et illud vulgare. *Lucrum pudore melius.*

Interim longe verior illa ſententia. *Nihil Principi in-*

dignius eſſe, quam lucrum ex omni occaſione odorari, adeoq́ ex mortuo lucrum auferre, vt in vetere Prouerbio eſt.

Certè ſecundum Diogenem, *damnum potius, quam turpe lucrum eligendum eſt.* Nam vt dicit Xenophon, *ſpes mali lucri damni initium eſt.*

Non probabo igitur Veſpaſiani Symbolum, propter quod merito ipſe olim teſte Suetonio, culpatus.

Reuocauit omiſſa ſub Galba vectigalia. Noua & grauia inſtituit. Negotiationes etiam priuato pudendas exercuit, emendo quædam tantum, vt pluris diſtraheret poſtea. Vendebat honores, & reorum abſolutiones. Rapaciſſimum quemque ad officia promouebat poſtea, tanquam ſpongias plenas, premebat, & omnia exprimebat.

Natura cupidiſſimus fuiſſe videtur. Vnde cum petitam gratuito libertatem cuidam Bubulco negauiſſet, ille, inquit, *Vulpes Pilum mutat, non mores.*

Excuſant illum aliqui propter inopiam ærarij initio Principatus eius. Quia male partis optime vſus eſt.

Etſi vero cum nihil turpius ſit, quam ex omni cauſa lucrum odorari, vt ait Tacitus. Fuerunt tamen, qui Veſpaſianum, ſequerentur.

Peſcennius Niger, qui poſcentibus Palæſtinis, vt ipſorum cenſitio leuaretur, vos, inquit terras veſtras leuare vultis, ego etiam aërem cenſebo.

Antigonus Rex Macedoniæ, cum illi opponeretur

Alexan-

Alexander M. Aſiam, inquit, metebat, ego culmos.

Nolo vectigalia nugatoria hic repetere, quale fuit illud pro aëre & vmbra exactum, vt habet Cuiacius.

Alyſimacho tradunt in Troade vectigal ſalmarus conſtitutum fuiſſe,&natura quaſi id refugiente,ſtatim exaruiſſe ſalinas, ac remiſſo vectigali rurſus prodijſſe.

Caius Imperator ex omnibus edulijs,quæ tota vrbe venirent, certum vectigal exegit.

Sed vt modos aliquos comparandæ pecuniæ
Proponamus, ex multis rebus, ſi non ex qualibet.

Duo potiſſimum ſunt, vnus ordinarius per impoſitionem vectigalium, modo id fiat ſine ſubdatorum grauamine. Alter quo vti tantum in neceſſitate oportet; quæ quando vera eſt pro ratione neceſſitatis ſit grauamen. *Extrema mala extrema remedia poſcunt.*

Alias abſint turpiter ingenioſæ pecuniarum quærendarum rationes. Quippè vt dicebat Pertinax Imp. *præſtat inopem Remp. habere, quam ad diuitiarum cumulum, per diſcriminum atque dedecorum veſtigia peruenire.*

Suadebat quidam Aulicus Ferdinando Aragoniæ Regi Neapolitano, *mandaret, vt Aulici pro ſingulis centenis aureis, quatuor aureos in Ærarium quotannis referrent.* Cum inuentio placeret, *tum quidam eques. Imo,* inquit, *nobis omnibus, quos poſcis & veſtẽ victũ & veſtitum eripe. Siluit Rex.* Quippè præſtat omnia ſimul & ſemel auferre, quam tot inuentis rationibus lente torquere, & ad miſeriam redigere.

Modi

Modi aliqui colligendæ pecuniæ extra neceſſitatem, à Politicis ſuggeſti.

1. Certum nummum exigere *à fœneratoribus, blaſphemis, calumniatoribus, lites temere ſuſcipientibus.* Cauendum ne plus amari pecunia, quam punitio videatur, & ne delatoribus improbis ſit locus.

2. *Nullam regionis partem deſertam relinquere, aut rebus minus vtilibus deſtinatam.* Maſſiniſſa Numidiam ex inculta abundantiſſimam omnium fructuum reddidit.

3. Reuocare vſum ferarum ad Ius Gentium reſeruato in ſingula capita vectigali. Omnino placeret.

4. Curare diligenter Fodinas argenti, auri, omnium metallorum; veteres & intermiſſas realere. Hæc vera Principum mercatura, cui nemo alias admouere manum poteſt. Ita fecit Philippus Perſei pater.

5. Montes Pietatis inſtituere, cuius varias rationes Bornitius recenſet. Olla fortunæ publica plane improbanda.

Improbanda etiam Alchymia, & prohibenda etiam ſubditis. De ea Adrianus de Valentia.

Illa eſt ars ſine arte, cuius ſumma pars cum parte,
Cuius mater otiari, cuius verba ſunt irrigari
Cuius votum denigrari; cuius fama annotari
Cuius proba eſt mentiri cuius via impediri
Cuius labor eſt inflare, cuius fructus mendicare
Cuius finis deſperare, cuius merces nuſquam ſtare,

Cuius

Cuius pœna eſt punire, & in cruce interire.

Hi omnes modi maturo iudicio & cum populi conditio exigit, admittendi.

6. Per agriculturam. Sed illa indigna Principibus, qui cum perfruantur oppidis, ciuitatibus, lacubus, fluuijs, exercitibus, omnium obedientia & veneratione, æquum eſt, vt ſubditi cæteris fruantur. Habent etiam ſua vectigalia.

Quod ſi eſſet opus ſubſidio Principis pro reducenda ad culturam regione; eo præſtito Emphiteutica facere oportet & curam ſubditis relinquere.

7. Per mercaturam. Hæc vero ſi nobilem non decet, multò minùs Principem. Apud Romanos *omnis quæſtus Patribus indecorus eſt viſus.* Curare, tamen poteſt Annonam pacis & belli, vt ſuis & vicinis opituletur.

Alij modi in neceſſitate, aut propter quorundam Auaritiam.

Romani pro obſidione Mutinenſi indixerunt in ſingulas tabulas ædificiorum Romæ 4. obolos.

Bizantini publica fructifera ad tempus, infructifera perpetuò vendiderunt. Tertiam ex venditione rerum omnium acceperunt.

Lampſaceni pretium rerum in foro auxerunt, quod plus erat acceperunt.

Heraclienſes omnia acceperunt venalia in foro conſtituto ſolutionis tempore, tum per naues ad hoſtes miſe

Cum Nobiles in Polonia ius negotiandi peterent. Sigiſmundus Rex. Oportere habere in regno triplex genus hominum, ruſticos qui agros colant, mercatores qui neceſſaria importent & exportent, nobiles, qui me & regnum defendant. Id cum arduum ſit conſiſtere cum aucupis lucri, non poteſt. Generoſa pectora non poſſunt negotiationibus implicari vel mercatores ſunt in loco Nobilium.

miſerunt, & pecunia ſunt vſi.

Tamerlanes curabat venui pelles bono pretio tum occupata vrbe recepiebat.

Selibriani, vt ciues dempto victu omne frumentum in publicum deferrent, & partem vnam acceperunt.

Lacedæmonij, vno die ieiuniũ ſanxerunt etiam pro iumentis vt ſinguli ſumptũ vnius diei contribuerent.

In Lotharingia 1599. idem factum per familias.

Mauſolus Rex Cariæ prætextu tributi alteri Regi dandi grandem pecuniam accepit.

Hippias Athenienſis vendidit Præfecturas Magiſtratus, adminiſtrationes. Hodie tituli dominiorum venduntur ad tempus.

Leucon, monetam mutare volens iuſſit adferri omne aurum & argentum; tum aliud ſignum impreſſit duplicique pretio auxit. Dimidium habuit.

Romani bello Pun. I. imminuerunt libræ pondus, vt quinque partes lucrifacerent. Iterum Q. Fabius vrgente Hannibale.

Clazomenij ferreum nummum percuſſerunt.

Epheſij acceperunt mutuo à fœminis quod portabant aurum.

Eduardus IV. Rex Anglię genus exactionis, beneuolentiã, inſtituit, vt qui plus daret, plus à Rege amaretur.

Caſimirus Rex Polon. 1456, pro bello Pruſſico vt Rex, Eccleſiaſtici, equites darent dimidium annuo-

rum

rum cenſuum, & fructuū ex honoribus ſuis Oppidani facta bonorum mobilium æſtimatione binos groſſos ex ſingulis marcis Aggreſtes vnum in ſingula capita marium & fæminarum.

Biſiſtratus Athen. omnium rerum decimas exegit.

Veneti contra Maxim. Imp. vendiderūt officia, petierunt mediam partem fructuum ex locatione domorū.

Contra Iulium II. Pont. ſtatuerunt, vt intra 25. dies omne aurum & argentum deferretur ad duumviros numis cudendis; & decimam partem lucrati ſunt, qui non ferebant, eorum bona vendebantur.

Contra Baiazetem auxerunt vectigalia ex tertia parte. Et Magiſtratus Vrbani & Prouinciales mediam partem ſtipendiorum vnius anni Reip. remiſerunt.

Alij fecerunt Collectas.

In Anglia ſub Henrico I. omnes declarare debuerunt quantum Regem amarent, iuuando.

In Polonia ſub Stephano I. contra Baſiliadem magnum Ducem Moſchorum 1579. in Comitijs Warſanicenſibus grandis pecunia collecta.

Multi Principes in elocandis filiabus à ſubditis exigunt collectam pro dote.

Heliogabalus fecit, nuptias ſingulis dijs, vt ijs pro dote pecuniam extorqueret.

Caius Imp. pro litibus & iudicijs petijt vbique quadrageſimam ſummæ.

Rodolphus Bohemiæ Rex. Alberti Imp. filius, curabat aduehi ex Auſtria hordeum, ſalem, vinum, & pretia pro arbitrio ſuo conſtituebat, vendicando ſibi in eo genere monopolium.

Idem fecit Laurentius Medices ad diſſoluendum æs alienum.

Alphonſus Rex Neapolitanus porcos ſuos alendos & cuſtodiendos dabat ſubditis, & demortuos ſibi ſoluere cogebat. Inſtituit etiam monopolium emendo omne oleum regni & triticum in herba modico pretio, quod ipſe poſtea ſummo pretio vendebat.

Antonius Leua Præf. Mediolanenſis lege prohibuit ne quis triticum meteret, aut panem penes ſe faceret, ſed cogeretur emere in tabernis, addendo ſignum imperatorium, atque ita pro arbitrio pluris vendebat. Hoc vero diſplicuit.

Alij modi in neceſſitate.

Enicus Lupides Comes Tendillanus in bello Granatenſi dum exſpectaret pecunias à Rege Ferdinando fecit ſcedulas ex pergameno & ſua manu ſignabat, & vocabat, aureos, aſſes, &c. ijs chartis fiebant venditiones, poſtea veras pecunias referentibus dedit.

Dominicus Michael Dux Venetorum in expeditione Aſiatica & obſidione Tyri ex loro pecuniam publica forma ſignauit, & pro aurea argenteaque certis diſtinctam cataractibus numerauit; poſtea domi veros nummos reddidit.

SYM-

SYMBOLVM

TITI VESPASIANI

Orbis Amor Princeps Bonus.

TITVS VESPASIANVS, à S.P.Q.R. appellatus eſt amor & delitiæ Generis humani. Ideo merito hoc eius Symbolum eſt, *Orbis Amor Princeps Bonus.* Verè fuit ipſe bonus, qui triſtem à ſe nullum vnquam ſed ſemper beneficio affectum, aut cum aliqua ſpe dimiſit. Admonentibus domeſticis ne plura promitteret, quam præſtare poſſet, reſpondebat *non oportere quemquam à ſermone aut conſpectu Principis triſtem diſcedere.*

Expreſſit ipſe hoc ipſum, qui nihil vnquam petentibus negauit, & vt peterent, vltro admonebat. In rebus aduerſis & Reip. calamitoſis non tantum Principis curam, ſed etiam parentis vnicum affectum præſtitit, conſulenda, opitulando &c.

Singulis diebus beneficium aliquod alicui præſtabat. Semel omiſit, & inter cœnandum, *Amici*, inquit, *perdidimus diem.*

Factus eſt Pontifex Maximus, vt puras ſeruaret manus. Seruauit etiam, nam nullius poſtea auctor necis fuit.

Quicquid eſſe poteſt ingenij, artis, fortunæ ad conciliandas hominum voluntates in illo fuit.

Audiuerat ſemel maledixiſſe ſibi aliquem, contempſit. *Ego*, inquit, *cum nihil faciam dignum maledicto, maledictum tanquam mendacium parui facio.* Magnam fortunam magnus animus decet; cuius eſt placidum eſſe & tranquillum, iniurias offenſiones ſupernè deſpicere, vt loquitur Seneca.

Fuit ergo is Princeps bonus, ac proinde orbis amor. Nunc vero vt altius eius Symbolũ examinemus, quis Rex dicendus ſit bonus vel optimus, inquiramus.

In conuiuio ſeptem Sapientum apud Plutarchum ſeptem de optimo Rege ſententiæ ſunt prolatæ. Singulas proferam.

Prima fuit Solonis. Optimum illum eſſe Regem qui Monarchiam ſeu Dominatum ſuum in ſtatum popupularem conuertit. Improbauit Monarchiam Solon. Æqualitatem in Rep. probauit ad virtutis excitationem. Grande onus multorum manus melius leuant & portant. Plus oculi quam oculus cernunt. Multum eſt omnia poſſe, apparatu Regio cingi, ſed plus timoris quam voluptatis.

Regnum Fallax bonum clamat Domitianus.
Nulla fides Regni, clamat Septimius Imperator.
Multi ſtipatores, ſed pene plures inſidiatores.
Notæ curæ & difficultates Regum.

Secun-

Secunda ſententia Biantis optimũ eum eſſe Regem qui legibus non Peregrinis ſed Patrijs primus pareat.

Ægyptiorum Reges non minus quam priuati legũ dictis audientes erant.

Antiochus III Ciuitatibus ſcribebat, quod ſi quid contra leges mandaret, non obedirent.

Traianus Præfecto Prætorio gladium tradens, vtere pro me ſi bene imperauero, ſin minus contra.

Agatho Reges trium meminiſſe volebat 1 quod hominibus non belluis imperarent; 2. quod ad tempus non perpetuo, 3. quod ſecundum leges imperare debeant, non ſecundum voluntatem.

Charondas Thurius, quod legem ſuam transgreſſus ſeipſum interfecit.

Tenes, qui Tenedijs legem tulit de adulteris ſecuri puniendis, cum in eam filius deliquiſſet, lege vtendum eſſe dixit. Inde *Tenedia Securis* pareto legi, quiſquis legem ſanxeris;

Publica nimirum tunc res ſibi conſtat & æquum
Imperium, cum Rex quod iubet ipſe facit.

Theodoſij & Valent. Imp. Lex. Digna vox Maieſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri.

Zalericus Loccenſium Legiſlator, ſibi vnum, & filio vnum oculum eruint, vt legi ſatisfieret, de non prodeundo cum armis in forum.

D. Amb. ad Valent. Imp. cum leges præſcripſiſti

alijs

alijs, præſcripſiſti & tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.

Parendum vero Patrijs legibus, non illud audiendum nouus Rex, noua lex. Periculoſum eſt Regibus Patrias leges faſtidire, peregrinas introducere.

Apud Ægyptios Medici in curandis ægrotis ante Naturæ vim curare debebant, quam humores mouere, aut vlla remedia adhibere.

Nemo apud Locrenſes loqui poterat de noua lege niſi laqueo in collum iniecto.

Apud Spartanos Rex antequam Regnum adiret, iurare cogebatur ſe iuxta Reip. leges regnaturum. Peregrinæ leges ne quidem recitari apud eos poterant.

Tertia ſententia Thaletis. Illum optimum eſſe Regem, qui Regno ſenex & quidem naturæ curſu defungatur.

Prou. Nauta, Legularius, miles, vix reperiuntur ſenes, fluctibus, vulneribus, morbis abſumuntur. Idem dici de Regibus poteſt. Rarum eſt Senem videre Regem. Inter Imperatores, vix duo vel tres ſenes.

Sardanapalus iuuenis ſeipſum interemit.

Dionyſius Iunior, regno expulſus miſere vixit.

Caligula à Phæreo occiſus, cũ adorari vellet iuuenis.

Maximus in obſidione à ſuis occiſus. Itẽ Nero ſeipſũ. Nulla ignauorũ aut Tyrannorũ diuturna Imperia.

Tyranni, inquit Ælianus ſunt ſuibus ſimiles, cum

primum

primum attinguntur, clamant, ideoque aluntur, vt in aliorum commodum mactentur.
Quid vero tã cito perdit Reges? Vopiſcus in Aureliano, *Nimia licentia, rerum omnium copia, amicorum & ſatellitum perfidia, eorum ſtulti tia, aut nequitia.*
Nimia licentia ſimus deteriores. Comicus.
Cum Caracella ducere vellet Nouercam, nec auderet propter populum, Illa, *Si lubet, licet.*
Non difficile eſt in copia perire & ſubmergi.
Diocletianus iam priuatus. *Nihil difficilius eſt, quam bene imperare.*
Perfidia. Scipio tam bene meritus exulare Linterni coactus. Ariſtides, Iuſtus cognominatus, Natali ſolo pulſus Gordianus, Alex. Seuerus, Aurelianus omnes à ſuis occiſi vel eiecti.
Xiphilinus, etiam optimus Princeps placere omnibus non poteſt.
Quarta ſententia Anacharſis, Optimum eſſe regem, qui Prudentia cæteris præſtet.
Apud Spartanos Rex eſſe debebat ex ſtirpe Herculea, Spectabant familiam.
In Meroe, qui erant præualido corpore.
ApudGordios, qui caput habebat longiſſimũ & præpingue corpus. Molẽ ſpectabãt Lybij curſus velocitatẽ.
Æthiopes vires & opes. Cathei pulchritudinem. Alij aliud. Optimus rex qui prudens.

Sapientia. Per me inquit reges regnant, & iuſta decernunt.

Sub Sapiente Salomone tanta argenti copia, quanta lapidum fuit, vt Scriptura loquitur. Omnia euerſa ſub filio eius Roboamo, qui nec ſapuit, nec ſenum monitis audiens eſſe voluit. *Regni Prudentia cuſtos.* Rodolphus I. Imp.

Hi Stulti & Imprudentes. Antiochus Epimanes hinc inde in plateis oberrans nummos quaſi calculos ſpargebat, Capiat, inquit, cui fortuna dederit.

Stultus Heliogabalus, qui Romæ colligi iubebat omnes araneas, vt vrbis magnitudinẽ cognoſceret, decem millia muriũ, mille muſtellas in ſpectaculo exhibebat.

Stultus Caligula. Cum ſtarent milites iuxta Oceanum ad pugnam depoſiti, iuſſit eos legere conchas in galeis tanquam ſpolia Oceani.

Oculus regnantium eſt prudentia. In ſceptro Regum Ægypti oculus.

Quinta Sententia Cleobuli. Optimum eſſe Regem qui nemini familiarium fidit.

Videtur ab humanitate alienum nemini fidem habere, nam Prouerb. *Fide indignus eſt, qui nemini fidit.* Diffidentia mala eſt, credulitas etiam mala: ſi alterutra parte peccandũ, prestat nemini fidere, quam omnibus. Poëta. *Ferme omnibus eſt mos.*

Fallere mentiri potius quam dicere verum,
Cuique placet; raros poteris reperire fideles. Op-

Optandum eſſet cum Momo, vt homo clathratum pectus haberet.

Tam multi nimis creduli Reges perierunt.

Claudius Cæſar fidens nimium vxoribus & libertis, quantum dedecus ſibi parauit.

Chilpericus fidens Pipino Equitum Magiſtro, Regno Franciæ ſpoliatus eſt.

Carolus Canutus Gothorum Rex quod plus æquo ſuis credidiſſet Regno erectus cum fugere vellet ad Caſimirum Poloniç Regem, interrogatus à quodam ſuorum numquid neglexiſſet aliquid in terra? Suſpirans reſpondit neglexi profecto ante multos annos te tuique ſimiles in patibulum ſuſpendere.

Agamennon ab vxore occiſus, Aurelianus à ſuo ſecretorũ notario, Pyrrhum Regem Timochares amicus & familiaris occidere voluit, & Romanis obtulit, nemo vnquam à ſuis ſatis tutus.

Maſſiniſſa idcirco ſe hominum cuſtodia abdicauit, & canum præſidio ſe commiſit.

Sexta ſententia Pittaci optimum eſſe Regem, non quem, ſed pro quo ſubditi timeant.

Hinc Plutarchus. Inde fit, vt multis oculis videat, multis auribus audiat,

Dioces Rex Medorum cauerat, ne quis ad Regem ingredi permitteretur, ſed per internuntios omnia agerentur, ne qui ſimul erant educati Regem videntes illi inuiderent, & inſidiarentur.

Moſſimi in Aſia Regem electum in arctiſſima cuſtodia aſſeruabant, vt ſi quid faceret quod nollent, inedia illum enecarent. Volebant ipſi metui à legibus.

Magna arte opus eſt, ad efficiendum vt ſubditi pro Rege metuant.

Multi hoc donis fieri putant. Sed Philip. Ma. ad Alexandrum, *quæ te ratio in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis. An non id agis vt Macedones te non Regem ſuum ſed creditorem putent?*

Aliqui in Maieſtate rem hanc ponunt. Athopum Reges cum aliqua parte laborabant debilitati, eadem eius familiares ſeſe mutilabant.

Huius vero rei vnum eſt fundamentũ, *virtutis cultus.* Illum ſequitur beneuolentia ſubditorũ. Hinc Romani pro Auguſto vota faciebant, patriæ pater dictus &c.

Eberhardus Dux Wittembergenſis, in publico congreſſu cum alij Principes ſuæ Regionis fertilitatem, amœnitaté laudarent, & opes & pulchritudinem. Ego, inquit vel idcirco me felicem puto, quod nemo ſubditorum meorum ſit, in cuius ſinu non audeam in vaſta ſolitudine dormire.

M. Aurel. epiſtola ad Cincinnatũ. Neceſſe eſt tandem huius vitæ pomũe carnis miſera arbore à

Virtus parit beneuolentiam, beneuolentia charitatem, charitas ſecuritatem.

Septima ſententia Chilonis. Optimum eſſe Regem, qui nihil mortale, ſed omnia cogitat immortalia.

Multi iſtud ſapere putant, Tempori ſeruire, mortalia curare, immortalia alijs committere. Hic

Hic dici de contemptu earum omnium rerum, quam Reges habent, poteſt

—— *Quid gloria ? quid laus ?*
Quid fama ? quid honor ? voces & opinio vulgi.
Omnia longa dies abolet.

Quidam ſuo ſepulchro inſcribi curauit;

Quid ? omnia : quid omnia ? nihil. Si nihil, cur omnia? Nihil, vt omnia.

De his omnibus Rex non cogitet, ſed de virtute cuius fructus ſunt vberrimi in æterna gloria illa nihil timet, nec inſidijs nec bello aufertur, Sapientia monet, vt Reges Domino ſeruiant in timore.

Sicut Olympi cacumen quietum eſt, quia altius, quam vt vis ventorum tempeſtatumque perueniat, ita Regis animus immortalitatis meditatione excelſior fit, quam vt dolorus, aut cupiditatus vim ſentiat.

Seuerus Imp. vrnam ſibi parari curauit, in qua ſepeliretur quam crebro contrectãs dicebat *Tu virum capies, quem totus orbis capere non potuit.* Sola mors fatetur, quantula ſint hominum corpuſcula.

Maximil. I. capulum è plumbo, & querneo ligno funebrem arcæ ligneæ incluſum circumferri ſecum curabat, & noctu apud ſe deponi. Multi theſaurum putabant.

Carolus V. abdicato Imp. dicebat *ſe plus ſolidæ voluptatis ex quieta vnius diei meditatione, quam ex omnibus victorijs hauſiſſe.*

uelli: ſæpe nos in folijs aut floribus iunctæ morbi pruina, aut calamitatis grando aufert. Bibulus dũ curru triũphali per vrbem vehitur tegula delapſa illi caput eliſit. Maiolus referť de iuuene qui in cubiculo mortis imaginem, quã gna verſus appẽderat cũ hac inſcript. Viuens ſemper morere, vt mortuus ſemper viuas. *In alia parte.* Ne moriare opus eſt mortẽ præcurrere morte.

 SYM-

SYMBOLVM

FLAVII DOMITIANI

Fallax bonum Regnum.

REum omnium humanarum maximum, & quod maximam curam prouidentiamq; poſtulat, Regnum eſſe Iſocrates olim Oratione ad Nicoclem affirmauit. Pulcherrimam vero rem inter Deos & homines Liuius appellat Decadis 1, lib. 2. Quod cum ita ſit, fit etiam vt ſicut inquit Saluſtius, imperio maximo maxima inſit cura. Vnde dixit Herodotus τυραννὶς χρῆμα σφαλερὸν, id eſt *Regnum bonum fallax*, quod dictum pro ſymbolo Flauius Domitianus vſurpauit. Quod optime explicauiſſe mihi videtur Euripides in Ione. *Regnum*, inquit, *ſpecie quidem externa lætum ac iucundum eſt* (*ecce bene*) *intus vero triſte ac moleſtum.* (Ecce fallax bonum) ſed eos audiamus qui regnauerunt aliquando. Regnauit Antigonus: hic quodam die conſpicatus filium ſuum ferocius inſolentiuſque quendam tractantem. *An ignoras*, inquit, *Regnum eſſe ſplendidam ſeruitutem?*

Cum quædam autem Vetula felicitatem regni eius prędicaret, ille oſtenſo diademate, *ſi noſſes*, inquit, *quātis malis panniculus iſte refertus ſit, ne humi quidem iacentē tolleres.*

Regnauit aliquando Phalaris, ego vtrumq; expertus

Tyran-

Tyrannidi malim ſubeſſe, quam præeſſe. Qui enim ſubeſt, aliorum malorum ſecurus, omnem metuit tyrannum; qui autem præeſt, tyrannus, ſimul eos metuit, qui foris inſidiantur; & á quibus domi cuſtoditur.

In quam ſententiam ſcribit Lucretius Lib. v.

— E ſummo, quaſi fulmen deijcit ictis,
Inuidia interdum contemptim in Tartara tetra.
Vt ſatius multo iam ſit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.

Regnauit Tocaſta; & de Regno loquens ac de Eteocle ad Polinicem eius fratrem, ait

Ne metue, pœnas ille iam ſoluet graues;
Regnabit; hæc eſt pœna; ſceptra nemini
Impune ſic eſt gerere.

Idem Seneca.

Quiſquamne regno gaudet? ô fallax bonum!
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Vt alta ventos ſemper extipiunt iuga,
Rupemque Saxis vaſta dirimentem freta
Quamuis quieti verberant fluctus maris,
Imperia ſic excelſa fortunæ obiacent.

Vbique difficultates ſi vectigalia vel tributa imponenda, ſi cauſæ audiendæ, ſi libellis reſpondendum, ſi exercitus curandi &c.

Exprimere conatus eſt Ouidius, cum finxit Solem dehortari Phaëtontem, ne publicis muneribus ſeſe ingereret.

Ardua

Ardua prima via eſt, & qua vix mane recentes
Enituntur equi; medio eſt altiſſima cœlo,
Vnde mare, & terras ipſi mihi ſæpe videre
Sit timor, & pauida trepidat formidine pectus.

Poſt recenſet belluas, quæ ipſis occurrant;his vero calumnias, ſeditiones, factiones ſubditorũ,& alia notat, quæRemp. autRegnum capeſſentibus metuenda ſunt.

Vtque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen aduerſi gradieris cornua Tauri,
Æmonioſque arcus, violentique ora Leonis.

Quis autem has belluas ſuperet,non ab illis ſuperetur?

Mouit ea res Lydiadem, vt ſuum regnum Arato Sicycnio traderet.

Mouit Diocletianum Imperat. vt ſua ſpontè imperium deponeret.

Quo ſplendidior & diuinior eſtReip.adminiſtratio, eo ſolet eſſe laborioſior atque difficilior.

Teſte Seneca, *magna fortuna magna ſeruitus eſt.* Mar. Aurelius.*Imperium magnam moleſtiam appellabat*.Cum omnibus animantibus, teſte Xenophonte, *facilè homo imperet,ſolis hominibus,vt & ſibi, difficulter imperat*.Quo fit vt nulla ſit ars maior aut difficilior quam rectè hominibus imperare.

Cuius difficultatis hæc cauſa eſt, quod qui peccant pœnæ ſeueritatem ferre nolunt,quam præſcribit,iuſtitia & publica exigit tranquillitas. Sic fit, vt cum plures

ſint

ſint mali quam boni,longe ſit difficillimũ, vt Iſocrates loquitur,ſimul & recte imperare, & populo placere.

Cum Diogenes Corinthi captus ſub haſta vendendus eſſet, rogante præcone quam artem calleret, reſpondit, hominibus imperare, riſit præco; & ad eum conuerſus, *Magnam*, inquit, *Artem vendo, ſi quis Dominum ſibi velit emere.*

Vt redeamus ad Diocletianum. Cum imperium tenuiſſet xx. circiter annis, in Nicomedia ſe abdicauit, & abiens in locum Natiuitatis ſuæ agriculturam decem annis exercuit. Duobus annis poſt, cum Romani per Legatos eum ad Imperium reuocarent, inuentus eſt purgans lactucas in horto, & herbas eradicans, Nunquid melius vobis videtur, vt qui has lactucas plantauit, eas in pace comedat, quam alijs relinquens Romam reuertatur? Vtrumque expertus ſum quid imperare ſit, & quid terram colere: rogo hic me domi meæ relinquite, malo meis manibus victum mihi comparare, quam Romæ imperare.

Nimirum hoc eſt regnum, nolle regnare cum poſſis, vt ait Seneca.

IdemDiocletianus,veneno ſibi vitam abſtulit,cum alios ſibi inſidiari putaret,cum vocaretur ad Conſtantiæ nuptias, & venire nollet. *Per Conſtantinum & Licinianum.*

Amphitryon apud Euripidem cum ad aram à Lyco mactandus produceretur, aiebat.

Aſpice me, qui eram conſpicuus mortalibus, præclara peragens, & me deiecit fortuna velut plumam ad æthera vna die.

De Priamo ait Poëta.

———— Omnia vidit
Euerſa, & flammis Aſiam ferroque cadentem,
Tunc miles tremulus poſita tulit arma tiara
Et ruit ante aram ſummi Iouis, vt vetulus bos
Qui domini cultas tenue & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato iam faſtiditus aratro

Seneca de illo

——— Ille tot Regum parens.

Caret ſepulchro Priamus, & flamma indiget Ardente Troia.

Adrianus VI. Pontifex Maximus,

EPITAPHIVM.

Adrianus hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.

Vnus Catonum 58. annorum deſeruit Reip. officia & Roma venit in agrum picenum, in eoque pago habitans prope Neapolim, vixit reditibus ſuorum agrorum & Pratorum, & in caſula habitauit.

Aliquādo libros voluebat, aliquādo vineas putabat. Vnde vicini eius foribus carbone inſcripſerunt.

Quam felix es Cato, qui quomodo inter alios ſit viuendum, ſolus nouiſti.

Lucul-

Lucullus poſt tot victorias ex Aſia reuerſus cum Reſp. bellis ciuilibus ferueret inter Marium & Syllam, abijt in agros & ibidem vixit 18. annis.

Doris Athenienſis cum rexiſſet 36. annis Remp. cum ſumma laude abijt in pagum & villam ſuam. Noctu vacabat libris, interdiu terram colebat; vixit ibi annis 15. foribus eius inſcriptum erat; *Vale ſpes, vale fortuna; tandem vt quieſcam & contentus ſim dat mihi mea villa.*

Seianus dignitate omnes ſuperauit, ipſi Tiberio pene par & æqualis. At cum illum oſtendiſſet mane adductus in Senatũ, veſperi ita diſcerptus & laceratus eſt, vt carnifex in eo quod laceraret non inueniret.

Papinianus apud Antoninum Caracallum gratia valuit, quia approbare eius parricidium non voluit, ab eo ſecuri percuſſus eſt.

Beliſarius ſub Iuſtiniano Imp. optime de Tito Imperio meritus, de Gothis & Vandalis triumphauerat, non potuit ab inuidia immunis eſſe itaque dignitate ſpoliatus, orbatus oculis, facultatibus exutus mendicare coactus multos ad miſericordiam commouendo.

Date Beliſario panem, quem victus extulit inuidia oppreſſit.

Ouidius. *Viue tibi quantumque potes prælustria vita*

Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

Cicero. *O miſeras conditiones adminiſtrandarum Ciuitatum & Prouinciarum!* Quare? quia diligentia in illis plena eſt ſimultatum negligentia vituperationum, ſeueritas

periculoſa, liberalitas ingrata; ſermo inſidioſus aſſentatio pernitioſa, frons omniū familiaris, multorū animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ.

Demoſthenes adoleſcentesde vitæ genere inſtituendo conſilium expetētes ita dimittebat, vt oſtenderet ſi duæ eſſent viæ propoſitæ quarum vna ad Remp. altera recta ad interitum duceret, hanc potius quam, illam ſe electurum.

Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benignè eſt

Si quid bene geſtum, leuior pluma gratia eſt; ſi quid omiſſum plumbeæ querelæ & offenſiones.

De Alcibiade.

Bene qui latuit, bene vixit.

Accedendum tamen eſſe ad Remp.

Themiſtocles, teſte Plutarcho, dicere ſolebat, ad inferos prius ſe deſcenſurū, quam ad tribunal & iudicium acceſſurū. Quippè nihil difficilius quam populū aliquem regere, quaſi quodam fręno atque etiam prouidere, ne ruptis aut ſumptis habenis ille rectorem excutiat.

Hanno Leonem habuit ſuas ſarcinas in expeditionibus ferentem.

Heraclides Ponticus draconem aluit, qui eunti, quieſcenti, aut quiduis aliud agenti, ſemper illi præſto fuit. Non ita fieri cum populo poteſt, quia eſt bellua multorum capitum, vt appellabat Demoſthenes illū.

Et quis tandem finis.

Lepida

Lepida eſt apud Lucianum fabula. Menippus à Mago quodam ad inferos deductus vidit eos qui Vrbium & Prouinciarum gubernatores aliquando extiterant, non pari cum reliquis ſed longe inferiori fortuna vti. Nam ibi Mauſolus Cariæ Rex in antro obſcuro & abſtruſo delitefcebat, Philippus Macedo, vſu detritos calceos reſarciebat. Xerxes egeſtate compulſus mendicabat.

Darius ſalſamenta vendebat,

Polycrates prima litterarum fundamenta profitebatur.

Ipſe anxius quod vitæ genus eligeret rogauit Thireſiam. Ille optima, inquit, tutiſſimaque priuatorum eſt vita.

Verum cum vt dicit Pindarus, ea ſit conditio rerum humanarum, vt iuxta vnum bonum duo mala deprehendantur, quæ prudentes rectè, non item ſtulti ferre queant, non propterea deſerenda ſunt Reip. officia. *Nihil eſt ex omni parte beatum*, ſemper aliquid damni, moleſtiæque & laboris admixtum eſt.

Igitur capeſcere Remp. oportet, & ad Reip. officia accedere.

Nam inprimis nati ſumus non nobis, ſed Patriæ. Quippè ortus noſtri partem patria ſibi vendicat, partem parentes, partem amici.

Deinde cuiuſdam eſt impietatis Patriæ non adeſſe

velle & ei inſeruire, quando opem neceſſateriam implorat,porrigit faſces, dat ſecures,imperij habenas tradit &c.Imo quædam vulneraPatriæ infliguntur,quando viri-boni & prudentes capeſſere Remp. nolunt. Tũ enim malis & imprudentibus aditus patet. qui auare, petulanter, improbe ſua parte & imperio abutuntur.

Verum, vt monet Plato, non oportet ad Reip. adminiſtrationem accedere, tanquam ad rem pretioſam & excellens aliquod bonum, ſed munus neceſſarium magis, quam vtile vel iucundum.

Neceſſarium, inquam, nam ipſa natura gubernatores Reip. & Magiſtratus requirit,cum ſine ordine conſtare nihil queat; non eſt autem ordo in Rep.niſi præſint aliqui, & aliqui ſubſint. Eadem eſt neceſſitas Magiſtratus, quæ legis; nam eſt Magiſtratus lex loquens. Eſt vinculum per quod Reſp. hæret; eſt ille ſpiritus vitalis, quem tot millia trahunt nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda ſi imperij illa mens ſubſtrahatur.

Hinc qui in Rep. ſunt,ſunt *Coriphæi*, quibus è choro ſublatis cantus parum conueniens eſt.

Deniades mortuo Alex. dixit, exercitum Cyclopi eruto oculo ſimilẽ eſſe.

Sunt *Duces*, ſine ijs acies Reip.ordine non procedit.
Sunt *Naucleri*,ſine ijs Reip.nauis fluctibus obruitur.
Paſtores, ſine ijs grex lupo fit præda.
Oculi ijs obſcuratis Reip. corpus nihil videt.
Patres,qui liberis ſuis ciuibus neceſſaria ſuppeditãt.
Medici, qui mala Reip. prudenter curant.

Vites

Vites & arbores vmbram & fructum ſimul præbent.

Præterea multi nati & facti ſunt ad Remp. Sicut enim, vt ait Georg. Columella Lib.9. cap. 10. in apum Rege naturale quid reperitur ad gubernandum aptum & accommodatum; ardet enim maculis auro ſqualentibus, maior paulò & longior eſt, quam reliquæ apes, cruribus rectioribus vtitur, ſpiculo caret, quamdiu viuit colitur, & obſeruatur, ſimilis exhortanti circumit aliorum labores; ita aliqui donati ſunt à Deo, pluribus animi bonis, vt alios dirigant.

Quin imò, vt dicit Plutarchus, eſt illiberalis & ſordidi animi, ſibi tantum viuere; ac nihil turpius, quam hoſpitium præbentem Remp. deſerere. Veteres hominem appellauerunt φῶτα, lumen, quod inclareſcendi à natura ei amor eſſet inditus.

Præterea Magiſtratus ſeu officia Reip. viros oſtendunt. Et ſicut cognoſci eas non poteſt, niſi liquor infundatur, ita nec homine, niſi illi imperium committatur.

Sunt honores officia Magiſtratus vera virtutis præmia; quæ proinde relinquere non oportet.

Accedit, quod qui idonei ſunt ad Remp. gerendam cogi etiam poſſint.

Athenienſes mulctabant capite eos, qui recuſabant, Romani libertate, Spartani exilio.

Sophronetus, quod Dux declaratus munus recu-

ſaſſet

ſaſſet, X minis mulctatus eſt, vt refert Xenophon.

Venetorum Reſp. pœnam conſtituit in eos, qui legationem iniunctam ſuſcipere nollent, ſi à Senatu digni iudicarentur. Octauianus Venetus.

Et bene dixit Alexander Seuerus inuitos, non ambientes in Rep. collocandos eſſe. Ælius Lamp.

Galba etiam non dedit, Senatoria & Equeſtria officia niſi inuitis & recuſantibus. Suet. in Vit. Gal.

Quare? quia ſuſpectus eſt, qui operam ſuam ingerit, vt ait Vlpianus in L. 25. ff. de procuratoribus.

Nec abſtrahere quenquam debet à Rep. neglectus proprij commodi. Nam bonus vir magis penſi habere debet bonum publicum, quam priuatum, natura iubente, & pars vna potius diſcrimen ſubeat, quam totum. Ariſt. 2. Polit.

Cum eſſet penuria rei frumentariæ Romæ Cn. Pompeius Procurator Annonæ, & Maris terræque Dominus (re quidem ipſa) declaratus, in Africam, Siciliam, Sardiniam nauigauit multaque frumenti vi collecta properabat ire Romam ſed cum propter tempeſtatem Naucleri detrectarent nauigationem primus ipſe, nauem ingreſſus anchoras tolli iuſſit, clamans vt nauigemus vrget neceſſitas, vt viuamus non vrget: Patriæ periclitantis habenda potius ratio, quam priuatæ incolumitatis.

Phocion cum ab ingrata Patria morti adiudicatus

cicu-

cicutam iam biberet, filio nuntiari mandauit ne ob eius mortem patriam odio haberet, ſed ab omni vltione deſiſteret. Ælian. in var. hiſt. lib. 12.

Traſybulus cum Athenas dominatione xxx. Tyrannorum à Spartanis impoſitorum liberare vellet, paruaque manu rem maximæ molis aggrederetur, & quidam è conſcijs dixiſſet, *quantas tandem tibi Athenæ per te libertatem conſecutæ gratias debebunt?* Reſpondit, *dij faciant, vt quantas illis debeo videar retuliſſe.* Vale Max. L. 2.

Cicero duo Patriæ apprecabatur, vt pacatam & à tyrannide, liberam videret, priuſquam moreretur, deinde, vt cuique eueniret, ſicut de Patria meritus eſſet.

Porro ad Remp. duæ ſunt viæ, vna expedita ſed periculoſa, per ſplendidum & magnum aliquod facinus; altera tardior ſed tutior, cum quis iuuenis ſeni adhæret, vel obſcurus Nobili & per eius paulatim auctoritatem ac potentiam creſcit.

Priorem illam viam, magna audacia nō pauci ſunt ingreſſi, quod inuidiam celeri ac ſplendido more merito conſtans potentia abſterreat. Nam, vt inquit Ariſt. *Neque fumum ignis gignit, neque inuidiam gloria ſi ſubito ac celeriter effulgeat*, puta per legationem difficilem præclare obitam, per victoriam inopinatam, per Patriæ liberationem è graui aliqua neceſſitate. Sic Pompeius Magnus nondum Senator triumphum petijt, & neganti Sullæ, *plures*, inquit, *ſolem orientem, quam occidentem adorant.*

Aratus Reip. gerendæ initium fecit à Nicoclis Tyranni excidio. Alcibiades excitando contra Lacedæmonios bellum.

Viam alteram ingreſſi ſunt omnes illi, qui alicui potentiori adhæſerunt, & eius ope in Rep. radices egerunt. Imitati hæderam, quæ validam amplexa arborem ſimul attollitur.

Ita Ariſtides Cliſtheni adhæſit, Phocion Gabriæ, Lucullus Sullæ, Ageſilaus Lyſandro, alij alijs, à quibus quaſi manu ducti ſunt ad gloriam. Vnde ipſi vni ſimul & multitudini gratificabantur. Alio enim regnante dum licet obſequijs & officijs parandi ſunt amici, vt Philippus Alexandrum hortabatur.

Et Plinius 2. de Traiano, Paruiſti Cæſar, & ad principatum obſequio perueniſti.

Hoc vero ſtuduerunt illi ſemper, vt præclare ac ciuiliter ſuos colerent ad finem vſque & exornarent. Ita Lælius Scipionis virtutem & gloriam ſemper amplificare perrexit, tametſi multi ſcipionem irriderent, & Hiſtrionem appellarent.

Et Afranius certiſſimum conſulatum petere deſtitit, ſollicitante pro alio Pompeio, vt amicitiam conſeruaret, nec conſulatum amitteret, quem anno proximo obtinuit.

Cum vero pacatę ſunt Reſp. nec audacis alicuius facinoris eſt oportunitas, ſumi poteſt ad Remp. initium

à iudicio aliquo publico, vel legatione, vel reſtituendo, quæ præclara negliguntur non ſine damno Reip. ſic enim animi multitudinis conciliantur. Item per liberam iuſtitiæ defenſionem aduerſus Principem, per controuerſiam rectè diſceptatam, vel patrocinium pro impotente aduerſus potentem ſuſceptum.

Cauendum tamen nequis per inuidiam ſe viro bono opponat, & ſua virtute ad gloriam euecto, vt Clodius Pompeio fecit, & Sinanias Pericli; quia nec ad gloriam facit, nec vtile eſt.

Sed ille ſibi progreſſum in Remp. ſplendidum facit, qui in eum inſurgit, qui improbus eſt in Rep. & calliditate ciuitatem ſubigit. Sed hac in re periculum eſt, Quando vero dominari recte non poſſunt, vt ait Plato, qui non ante ſeruiuerunt, etiam in pacatis Rebuſp. adhærere licet potentiori, & eius moramentis creſcere. Deligendus autem eſt talis, qui non gloria tantum & potentia, ſed virtute ſit magnus, & bonorum ſtudioſus, & actionum prҿclararum occaſiones nec ſurripiat, nec inuideat, vt Marius Sullæ, ſed vltro offerat, vt Sulla Pompeio, cui etiam accedenti aſſurgebat & caput detegebat, *A maiori enim honorari eſt ad Gloriam duci & ad honorem.*

SYMBOLVM

TRAIANI IMPERATORIS.

Qualis Rex, talis Grex.

QVanta vis ſit exemplorum docuit aliquando ſuo exemplo I. Cæſar. Is apud Gades in Hiſpania cum Alexandri Magni ſtatuam in Herculis templo vidiſſet, temperare ſibi à lachrymis non potuit, cauſamque rogatus, *Ego*, inquit, *in ea ætate, quâ ille terrarum orbem domuit, nihildum laude gloriaq́ dignum feci.* Hoc exemplo concitatus, ea poſtea peregit miſſionem à ſeipſo adeptus, quorum memoriam nulla ætas deponet.

Quam ob cauſam laudatiſſimus ille mos fuit Druſi Germanici, qui virorum illuſtrium ſcipionum aliorumque tota Italia ſepulchra viſebat, quoties cum exercitu prodeundum erat. *Vt*, aiebat, *illorum, ad quorum conſpectum tota aliquando terra tremuerat, proſperam conſiderans fortunam, ſibi fortitudinem & audaciam compararet.*

Et vero non capienda tantum ſunt exempla, ſed etiam danda. Ideo Ageſilaus Rex cum interrogaretur cur per acrem hyemem ſolo pallio tectus & abſq; tunica ob ambularet homo tam ætatis prouectæ, *vt*, inquit, *iuuenes hanc vitæ rationem imitentur cum exemplum habeant, & extremæ ſenectutis hominem, & Principem.*

Et

Et Principem, inquit;quia Præfecto nullum potentius exemplum eſt, quam quod à Principe venit.

Ideò præclara illa vox Traiani Imp. *Principem erga ſubditos talem eſſe debere qualem erga ſe velit eſſe ſubditos.* Ex qua hoc eius formatum eſt Symbolum.

Qualis Rex, talis Grex.

Cuius ſymboli rationem & quandam explicationẽ dat Claudianus Paneg. de 4. Conſulatu Honorij.

——— Totus componitur Orbis
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis,
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Et in laudibus Stiliconis Pan. 1.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum
Vtque Ducum litues, ſic mores caſtra ſequuntur.

Plana ratio eſt, quod ea ſit Principum conditio vt quicquid faciant, ipſo exemplo præcipere videantur, vt ait Quint. in Declam.

Et vulgus (vt ait Cicero Ep.ad Sulpitium) quod exemplo fit, id etiam iure fieri arbitratur.

Franciſcus I. Gallorum Rex, vt primum litteras à quibus maiores ſemper abhorruerant; amare cœpit, ſtatim ſecuta nobilitas eſt, deinde reliqui ordines tanto ſtudio bonas artes conquiſiuerunt vt nuſquam litteratorum tantus numerus extiterit; Bodinus in Methodo Hiſtoriarum.

Milites Antiochi, vt Regem imitarentur ſubnectebant crepidas aureis clauis vaſa argentea ad vſũ culina parabant &c. Idẽ Franciſcus cũ accepto vulnere, comã longam paſuiſſet, ſtatim Nobiles, & mox reliqui criniũ ſyluã antea non caduã tondendo reſecarunt.

 Moris

Nero laudabat, ſæpe Capillos Sabinæ popææ ſuccinei coloris; omnes ſtatim puellæ & matronæ colorem illum fuco fabrefacto procurarũt. Tacit.

Moris erat apud Æthiopes, vt quando membrum aliquod corporis quacunque ex cauſa Regi debilitaretur, ſtatim domeſtici & amici ſua ſpontè idem membrum in ſe debilitarent. Turpe exiſtimabant Rege claudo, nõ omnes aut ſaltem amicos claudicare cum veræ amicitiæ ſit ſignum rebus amicorum aduerſis dolere, ſecundis lætari.

Alexander Mag. conſuetudine quadam praua collum torquebat. Item Alphonſus Rex Aragonum ſed à natura: Aulici eorum vtriuſque vitium modis omnibus ſtudebant imitari.

Dionyſius minus oculis perſpicax erat; ideo eius familiares obtuſe etiã inter cœnandum cernebant, ſimulabantq; errare manus in menſa donec Dionyſius illas admoneret.

Quare Ageſilaus Rex Spartanorum æquo animo priuatorum errata ferebat; ſed Regum intollerabilia putabat; quod ex priuatorum peccatis mala pauca, ex Regum plurima euenirent. Plut. in eius vita.

Quo ſenſu dicebat Carol. V. ſicut pleraſque ſolis Eclipſes magnæ rerum mutationes & ſeditiones ſequuntur; ita ex Principum vitijs etiam non maximis multa & maxima incõmoda ad ſubditos redundant.

Quid ſibi vult quod Græci dicunt à capite primum computreſcere piſcem? Hoc ſcilicet quod quando vir Princeps turpitudini ſe dedit, mox labes in plures ſerpat.

Fredericus Traiectenſis Epiſcopus cum inter Epulas à Ludouico Pio Imperatore admoneretur, vt abſque vllo perſonarum reſpectu ius diceret, recte, mones, inquit, ſed & illud à te ſcire cupio. Vtrum

Vtrum hic Piſcem appoſitum à capite, an à cauda aggredi liceat. Imperator. A capite, inquit, tanquam præſtantiſſima parte. Tum Epiſcopus, *ergo tu Imperator renuntia prius inceſto coniugio quod tu contraxiſti.*

Prou. Piſcis à capite fœtere incipit id eſt contagione Magiſtratus reliquum vulgus inficitur.

Pulchre & vere Plinius in Paneg. Traian. *Vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo.*

Mirum vero eſt, & tamen verum, quod apud Caſſiodorum, dicit Theodoſius Imp. *Facilius eſt errare naturam, quam diſſimilem ſui poſſit Princeps formare Remp.*

Et hinc iterum Plinius ad Traianum *cum ipſe ſis optimus, omnes circa te ſimiles effeciſti.*

Prou. in Pan. exaſperat homines exaſperata correctio, blandiſſime iubetur exemplo.

Omnino *qualis Rex, talis Grex. Quales heræ, tales Ancillæ* inquit Cicero in Epiſt.

Hæc cũ ita ſe habeant, quid reſtat, niſi vt qui bonos habere ſubditos vult, ſit ipſe bonus, & virtute ornatus.

Debent Magiſtratus non auctoritate tantum ſubditis præeſſe, verum etiam virtute prælucere.

Ideo Moyſes in gubernando populo tales exigebat,

Quorum conuerſatio eſſet probata.

Quemadmodum ſi plures pictores vnius faciei formam effingant, omnes imagines ſimilitudinem quandam inter ſe habebunt, eo quod ad exemplar vnius pictæ ſint; ſic etiam multi mores ſi ad vnius imitationem reſpexerint in omnibus æquè bonus vitæ character eluceſcet.

Quo-

Quomodo Magiſttatus alios reprehendet, ſi ipſe moribus ſit corruptis? Notum illud Catonis.

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

Quid prodeſt in Plautis fructum producendi facultas ſi fructus deſit? Ita nihil poteſtas in Magiſtratibus ſi virtus deſit.

Sunt errantes ſtellæ ſine luce. Sunt florentes plantæ ſine fructu.

Decet Principem inquit Xenophon, *non ſe bonum præſtare dumtaxat, verum etiam pro ſubditis diligentiam adhibere, ut quam optimi fiant.* Hoc autem aſſequitur exemplo. Seneca in Thyeſte.

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

Illum enim Populus tanquam in excelſo poſitum, inque Clariſſima luce verſantem curio ſe intuetur, adeo vt mille Argos habeat, & dictorum factorumque ſuorum obſeruatores atque præcones.

Vita Magiſtratuum inſtar ſpeculi eſt, quod quotidie ſubditi intuendo ſeſe ad mores ipſorum conformant, ſiue ij probi ſint, ſiue mali.

Prouerb. Alijs Medicus cum ipſe vlceribus ſcateas.

Ideo optimè Imperator Baſilius ad filium ſuum qua fronte eos, qui tuæ dominationi ſubiecti ſunt ad pudicitiam cæteraſque virtutes ſeruandas hortaberis, ſi eas ipſe non ſeruaueris? Nam quæ facientem te viderint, eadem quoq; permitti ſibi facere interpretabũtur. Solent enim exemplum Principis imitari ſubiecti.

Nam

Nam (ſicut recte Egeſippus) quemadmodum boni Principis vita probitatis quædam Præſcriptio & per vniuerſos viuendi forma eſt; ita imperatoris colluuio lex flagitiorum eſt.

D. Gregorius. Qui in conſpectu Populi male viuit, eum, à quo attenditur, occidit. Quanto igitur grauius, ſi is etiam imitetur?

Antoninus Pius Imperator, cum dilabentes ad Chriſtianæ religionis cultum videret Gentiles, quo reliquos ſuo exemplo in officio contineret Dijs aſſidue ſacrificabat, nec vllum ſacrificium per Vicarium faciebat, niſi æger eſſet. Iul. Capit.

Vtinam dicere Principes omnes poſsét, quod ille apud Liuium lib. 7. *Non dicta mea modo milites, ſed & facta ſequi debetis, nec diſciplinam modo ſed exemplum quoque à me petere.*

Longum iter per verba, per præcepta, breue & efficax per Exempla.

M. Aurelius ad Vxorem. Quid prodeſt lingua virtutes buccinare, ſi ad opera manus ſit ignaua? Non dicitur iuſtus, qui bonus eſſe cupit, ſed qui ad virtutem ſummo ſtudio & labore contendit. Tantum temporis vitæ honeſtati impendamus, vt ne proferendo verbo improbo ſpatium ſuperſit.

Rem hanc totam Pulchre Claudianus in 4. Conſulatu Honorij explanat, & Regi Præcepta dat.

Hoc te præterea crebro ſermone monebo

Vt te totius medio telluris in Orbe,
Viuere cognoſcas, cunctis tua Gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe, dari regalibus vſquam
Secretum vitijs. Nam lux altiſſima fati
Occultu nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & obſtruſos explorat fama receſſus.

Eodem ſenſu dixit Xenophon Lib. 8. Cyri. Neque enim vos Dij in tenebris operiunt, ſed opera veſtra neceſſe eſt ſemper in propatulo eſſe apud omnes, quæ ſi pura & ſine iniuria appareant, reddunt vos inter omnes homines Potentiſſimos. Sin ſi quid iniuſti inter vos inuicem cogitabitis, fidei dignitatem apud omnes homines amittetis.

Pindarus Regem dixit eſſe omnium morem.

Velleius Paterculus facere rectè ciues ſuis Princeps optimus faciendo docet.

Duci Natura mauult, quam cogi; ideoque ſecundum Tacitum obſequium in Principem, & æmulandi amor validiora ſunt, quàm pœna ex legibus.

Ex his omnibus fit, vt optima ſit Reip. harmonia cum bonus eſt Princeps, & illum ſubditi imitantur, ſicut dicit Iuſtinianus Imperator Nouella 8.

Pulchra & conſonans, eſt Magiſtratus ac ſubditorũ harmonia: quippè qua ſoluta ſequitur ἀταξία & perturbatio omnium Reip. ordinum.

Vulgare illud, Fortuna ſuos cuique mores fingit.

Illa

Illa vero ferè à Principe.

Tempore Heliogabali nulli Prouinciarum Recto-res reperti ſunt, qui virili mente & virtute præeſſent, quia nimirum ipſe fœdiſſimus & vaniſſimus erat, pro mouens ad maximas imperij dignitates omnes ſceni-cos, artifices, ac Theatricos.

Omnia quæ à Regibus fiunt mirum in modum placent.

Ioſinas Rex Scotorum delectabatur familiaritate Medicorum & Chirurgorum, breui factum eſt, vt om-nes Nobiles vulnerum curationem tenerent.



SYMBOLVM
NERVÆ COCCEI IMPERA:
Mens bona Regnum poſſidet.

NERVA Imperator vſque adeò bonus fuit, vt diceret, *nihil ſe feciſſe, quo minus poſſit priuatus tuto viuere.* Ideoq́ue meritò hoc eius Symbolum fuit ex Seneca in Thieſte. *Mens bona regnum poſſidet.* Nam, vt idem Seneca. *Rex eſt qui metuit nihil,*
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Quippè iuſtitia & beneficentia Principis alicuius fidem atque beneuolentiam parit multitudinis; beneuolentia fideſque caritatem, caritas ſecuritatem, ſecuritas diuturnitatem Imperij, quarum rerum omnium Comes eſt immortalis gloria. E contra iniuſtitia & ſæuitia gignit metum; metus odium, odium inſidias, inſidiæ interitum, quas res perpetua comitatur infamia.

Bonus eiuſmodi Princeps erat Stephanus Dux Bauariæ, qui Ioanni Galeatio Inſubrium Duci de perfidia inſidijſque ſubditorum multa conquerenti ego, inquit, neminem ex omnibus ſcio, qui mihi parent, cui me non abſque periculi metu inermem committere etiam in vaſta ſolitudine, & in cuius ſinu non in vtramque aurem obdormire auſim.

Idem aliquando dixit Eberhardus Dux VVittebergicus in Comitijs Imperialibus apud Vangiones, cum ſinguli Principes ſingulas regionum ſuarum laudes deprædicarent.

Sic & Agaſicles, rogatus qua ratio ne Princeps tutus viuere poſſet? ſi, inquit, ſubditis ita imperet, vt pater liberis. Nam vt ait Xenophon inter Principem bonum & Patrem nihil intereſt.

Quænam igitur hæc *Mens bona quæ regnum poſſidet?* Eſt mens nullius delicti ſibi conſcia, mens virtutibus clara & ornata.

Hinc Ariſt. Lib. 5. Polit. Reges olim eligebantur ex viris bonis propter excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute geſtarum. Cuius rationem dat Arianus. Quia qui in vniuerſum vitæ, degendæ ſcientiam eſt aſſecutus, quid aliud eum eſſe oportet, niſi rectorem & dominum.

Cyrus apud Xenophontem, Imperium nemini conuenire dicit, qui quibus imperat melior non ſit.

Ageſilaus rogatus, quomodo quis apud homines probaretur, reſpondit, ſi dicat optima, faciatque honeſtiſſima.

Quo ſenſu dixit Alphonſus Rex Aragonum, eos demum Principes magnifaciendos eſſe, qui virtutem probe excolerent.

Quippè in quo fuerit virtus, eius imperium omnes

æquo animo patientur, & ſpontè etiam illi ſe ſubij-cient. Atq; ita *Mens bona regnum poſsidet*. Mens, inquam, bona, quæ conſcientiam tranquillam ac ſecuram præſtat; item Hilaritatem & lætitiam. Teſtis Seneca. Sapiens nunquam ſine gaudio eſt, gaudium hoc non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia, neque enim poteſt gaudere, niſi fortis, niſi iuſtus, niſi temperans.

Mentem bonam habuit inter Ethnicos Imp. Antoninus, qui tantæ tranquillitatis ſemper fuit, vt vultum nunquam mœrore mutaret.

S. Bernardus. Fortitudo tua, ô Princeps, fiducia fidelis conſcientia; decor tuus ſplendor bonæ opinionis.

At vero cum ſola virtus bonam mentem faciat quæramus an vera eſſe in Principibus virtus eſſe debeat, an vero ſimulata tantum, fucata & ficta.

Machiavellus in Libro de Principe, dicit Principem vt cautius decipiat, & ſtatum ſuum conſeruet timorem ac reuerentiam diuini Numinis ſimulare debere quamuis nec Deum amet nec metuat; modeſtiam & temperantiam etiamſi diſſollutus ſit & intemperans; clementiam & lenitatem licet crudelis ſit & ferus, cæterarum virtutum ſpeciem & imaginem quandam oſtentare debere, vt ſua vitia tegat, & qui non eſt habeatur. Hæc bona mens eius Cap. 18. hæc ſunt verba eius Latinè reddita.

Non eſt neceſſe, vt Princeps omnes illas qualitates

habeat

habeat de quibus locuti ſumus, expedit tamen vt habere videatur: quin imo dicere auſim, ſi vere adſint, & ſemper ſeruentur, pernicioſas eſſe; ſin ineſſe putentur, fructuoſas. Veluti ſi pius, fidelis, humanus, religioſus & integer credatur, atque etiam re ipſa talis ſit, ita tamen vt cum opus fuerit, & caſus fieret, poſſit & ſciat mutare ſeſe, atque in contrarium vertere. Eſt autem ſciendum Principem, nouum Præſertim & primum Imperio admotum, non poſſe obſeruare ea omnia quæ hominibus virtutis & probitatis opinionem conciliant: frequenter enim ſtatus conſeruandi cauſa cogitur fidei, caritatis, humanitatis, religionis iura perfringere; ſed oportet eum ſic animo affectum eſſe, vt paratus ſit ad omnem ventum & fortunæ varietatem vela vertere, & ſi poſſit à bono non deflectat, ſed in malum nouerit declinare, cum hoc neceſſitas poſtulabit. Itaq; curandum Principi, vt nullum verbũ excidat, quod non redoleat plenumq́; ſit quinq; antedictis virtutibus; & qui eum viderit vel audierit, iudicet totum ex pietate, fide, integritate, humanitate, religione proficiſci. Alia plura in eodem illo capite.

Illis omnibus Principem perfectum hypocritam & ſimulandi Artificem format, imo monſtrum quoddam ex varijs formis compoſitum.

Talis pelle ouis eſt, re autem vera Lupus. Vultu homo, corde vulpes. Ore blande ridet, ſed manu ſicam

tenet,

tenet. Illi ineſt vox Iacob, ſed manus Eſau. Foris it cygnus candorem mentitur, intus duram & nigram carnem habet.

Rationes Machiauelli & eius Sectatorum Pſeudopoliticorum.

1. Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare; quod Ludouicus XI. Franciæ Rex ſemper in ore habebat, & præter hæc verba nulla alia Latina filium ſuum Carolum VIII. ſcire volebat. Vſi etiam illo Symbolo leguntur Fredericus & Sigiſmundus Imperatores.

2. Dictum illud Lyſandri Lacedæmoniorum Ducis, *Quo Leonis pellis attingere non poteſt, Principi aſſuenda eſt Vulpina*. Quod frequenter repent & laudat Machiauellus.

3. Tanquam ideam & exemplar optimi Adminiſtratoris adducunt Tiberium Cæſarem, de quo Tacitus 6. Annalium: Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum diſſimulatio deſerebat. Ipſe enim ad extremum vſque vitæ ſpiritum diſſimulationem retinuit.

Addant ex Saluſtio in Oratione Lepidi. Nihil glorioſum, niſi tutum. Et. Omnia retinendæ dominationis honeſta eſſe.

Seneca in Thieſte.

Vbicumque tantum honeſta dominanti licent
Precario regnatur.

In hoc turbido rerum humanarum pelago tempeſtati obſe-

obſequi, artis eſſe; & cum recta tenere portum nequeas, idipſum mutata velificatione aſſequi. Omnia dolis & fallacijs tanquam armis tegi. Id ni faciat princeps, in fraudem facile deducendum. Cum vulpe vulpinandum; cum Cretenſibus cretizandũ; fallaciam fallacia, quaſi clauum clauo & dolum dolo pelli.

Denique ad omnem impietatem perſuadendam plures alias eiuſmodi ſententias adducunt.

Imo exempla. Minos finxit ſe leges accipere à Ioue Numa ab Ægeria Dea, Lycurgus ab Apolline, Zaleucus à Minerua. Scipio non egrediebatur ad negotia niſi aliquamdiu moratus in Iouis Sella. Sertorius circumducebat cum exercitu Albam ceruam, Sulla circumferebat Simulachrum Apollinis.

Omnino tamen veræ eſſe non fictæ & adumbratæ Principum virtutes eſſe debent.

Socrates teſte Cic. Lib. 2. Offic. hanc viam ad gloriam proximam &, quaſi compendiariam dicebat ſi quis ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum.

Idem ibidem. Qui adipiſci veram gloriam volent,

iuſtitiæ fungantur officijs.

Primo offic. Totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, vt viri boni eſſe videantur.

Plato Lib. 2. Rep. extrema eſt peruerſitas, cum prorſus iuſtitia vaces, ad id tamen niti, vt vir bonus eſſe videaris.

Seneca Lib. 1. de Clementia. Ficta cito in naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæque ex ſolido enaſcuntur tempore ipſo in maius meliuſve procedunt.

Idem affirmat optimum animum pulcherrimum Dei cultum eſſe.

D. Baſilius ait duplici pœna dignũ eſſe, qui ſub pallio virtutis vitioſus eſt. Quia vt dicit D. Hieronymus. Turpiora ſunt vitia, cum virtutum ſpecie celantur.

Eccleſiaſtici 23. ſi diſſimulauerit delinquit dupliciter. Quare? D. Auguſtinus. Simulata enim æquitas, non eſt æquitas ſed duplex iniquitas.

Cic. 1. de legibus. Tum autem cum non ipſo honeſto, mouemur, vt viri boni ſimus, ſed vtilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni.

Cato, teſte Paterculo, nunquam rectè fecit, vt facere videretur, quanquam vere dictum ſit à Plinio

Multi famam, conſcientiam pauci verentur.

Gallus & Iulianus fratres, Conſtantij Imp. patrueles

Martyri

Martyri Mamanti magnificentiſſimum templum ex- ſtruxere opere inter ſe diſtributo cœperunt. Gallus ſe- nior religionem vere colebat, Iulianus Laruam tan- tum & ſpeciem pietatis habebat; videri pius volebat, vt Chriſtianos falleret. Interim quicquid impenſis Galli extruebatur, feliciter aſſurgens ſuccedebat, firmum & ſtabile: quod nomine Iuliani vno die ædificabatur, altero coruebat. Ita Deus declarauit amare ſe purum & ſincerum cor, deteſtari fictam mentem.

Greg. Nazianzenus & alij ſcriptores.

Cum Parmenio ſuaderet Alexandro, vt aſtu aliquo & fraude vteretur. *Facerem*, inquit, *ſi Parmenio eſſem, at quia ſum Alexander facere nolo.*

De Fabricio qui remiſit Medicum Pyrrhi: quod dolis agere nollet: ipſumque Pyrrhum monuit.

Neque ſimulata virtus iuuare poteſt ad ſtatum Imperij conſeruandum. Nam nulla eſſe poteſt neceſſitas quæ ſuadeat, vt virtutes ad regnum retinendum ſubuertantur, quæ regnorum ſunt fulcra.

Quod ſi imago & fictio virtutis valet ad conſeruationem ſtatus, multo magis vera virtus præſtat quod ſolidum eſt, quam quod adumbratum & pictum.

Quod attinet ad dictum Ludouici XI. neſcit &c. ſi diſſimulare ſit decipere & mentiri improbum eſt; ſi vero ea diſſimulatione, quæ eſt eorum, quæ ſcimus & intelligimus, reticentia, frontem operiens & mentem tegens; probari poteſt. Sed non ita accipiunt ho-

die, quidam verſuti & fallaces homines, qui ſe ſplendido titulo Politicos vocant, propterea quod artificioſe poſſint geſtu vel verbis mentiri & fallere.

Lyſandri ſententia eſt de bellicis ſtratagematibus. Exemplum Tiberij eſt hominis nefarij & ſceleſti. Tritum eſt, non exemplis ſed legibus eſt iudicandũ. Item: non quid Romæ fiat, ſed quid fieri debeat, attendendum eſt L. 12. ff. de Offic. Præſid.

EXEMPLA.

Henricus III. Imp. Vulpis in morem verſipellis vitia pro virtutibus venditans Imperio expulſus infeliciter perijt.

Chriſtiernus Daniæ Rex crudelitatem iuſtitię prætextu velans, captus, cauea ferrea incluſus in ſummis calamitatibus deceſſit.

Richardus II. Angliæ Rex falſis imaginibus virtutum tegens vitia, regno exutus in miſerijs deceſſit. Machiauellus proponit Cæſarem Dorgiam Valentinum eum, qui Alex. VI. patrem incredibili ſuo malo peremit, eo veneno, quod iuſſerat vino admiſceri ad occidendos plurimos in conuiuio, vt eorum morte ditaretur. Fratrẽ curauit occidi & in Tybrim deijci. Coactus conſentire in Pontificẽ contra quem egerat. Coniectus ipſe in carcerem cum effugiſſet, venit ad Hiſpanos Neapolim, à quibus multa ſibi promittebat. Captus, miſſus in Hiſpaniam, in Arce Medinæ incluſus miſere obijt.

SYMBOLVM

ÆLII VERI IMPERATORIS.

Vxor nomen dignitatis, non voluptatis.

Refert Spartanus Ælium verum Imperatorem in re vxoria maxima libertate vel potius licentia vſum fuiſſe. Cum quodam die vxor eius, quę ętate & forma pollebat conquereretur quod extraneis voluptatibus vteretur, ſeu aliarum conſuetudine fœminarum, reſpondit ipſe *Tua vtor conſuetudine quoad ex me concipias, reliquo tempore per alias exercere cupiditates ſuas viris licet. Vxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis, alioquin ſarcina eſt moleſtiæ tædiſque plena.* Inde hoc Symbolum.

Hic Imperator, ſi in vxore, vt matrona honeſta, & matrefamilias non tam voluptatis, quam dignitatis habendam eſſe rationem voluit, rectè ſane, & ad mentem Senecæ in octauia.

Probitas, fides, mores, pudorque coniugis.
Placeant marito.

Nam ipſa vt dicebat Menander eſt *Gubernaculum Domus, & Penu Virtutis*. Et vt Africanus eſt *firmamentum Familiæ*.

Quia vero voluit ſibi concedi ſuas voluptates extra

thorum coniugalem & in conſuetudine aliarum, exigens pudicitiam ab vxore, & illam in ſe non ſeruans, omnino male.

Nam, vt Sextus apud Hieronymum, *ſicut vxor contenta eſt, quæ bona eſt, vno viro, ita vir vna vxore contentus ſit oportet.* Quippè vt ait Euripides, *cum vxore in eodem lecto conſeneſcere iuſtum eſt.*

Ac deinde iniquum eſt, vt ait Vlpianus, *ſi maritus ab vxore exigat pudicitiam, quam ipſe non exhibeat, cum eadem à viro quæ ab vxore caſtimonia debeatur ſecundum Ambroſium.*

Dubia hæc res apud Chriſtianos non eſt. Vnica eſſe vxor debet; qui aliarũ vtitur conſuetudine adulter eſt.

Videamus tamen, quid hac de re Gentes aliæ ſenſerint, tum quid in vxore ducenda ſit attendum, vt conſtet an vxor dignitatis ſit nomen, an voluptatis.

Antonius I. duas ſimul habuit. Valētinianus duas permiſit. Heluius Cinna Trib. pleb. legem habuit paratam, de ducendis pluribus, quam ferre iuſsiſſet I. Cæſar Suet. c. 59.

Apud Tarentinos, Ciues vxorem vnam liberorum procreandorum cauſa ducebant; ſed præter eam duas ad voluptatem Pellices eligebant.

Romani, vt ciuium quiſque vnicam duceret vxorem, lege certa volebant, Peregrinas voluptates non probabant.

Plato communes vxores volebat, quod in eo admodum reprehenſum eſt.

Athenienſes ſanxerunt vt ſinguli Ciues duas haberent vxores, graui conſtituta pœna ſi quis concubinam haberet. Vt ſi vna ſterilis eſſet, altera vrbi Ciues pare-

pareret; ſi vna morbo vel puerperio detineretur, altera marito adeſſet, & ægrotæ neceſſaria pararet.

Lacedæmonij volebant vt vna fœmina duobus viris nuberet, vt cum vnus abeſſet, alter domi maneret, quod ferendũ nõ iudicarẽt, vt fœmina ſola domi eſſet.

In Britannia olim, teſte Iulio Cæſare; vna quinque viris nubebat. Illa fœditas.

Idem nec olim apud Ægyptios teſte Diodoro Siculo, erat amplius, vir vnus tot quot volebat pro opum ſuarum ratione ducebat. Hodie apud Turcas.

Duæ cauſæ coniugij pro virginibus vna vt ex benedictione diuina coniuges liberos opum & nouos hæredes nanciſcantur. Altera vt cum maritis honoratæ conſociatæque in ſua ſingulæ domo viuant.

Quæ autem vno viro contenta non eſt, nec omnibus totius vrbis contenta erit.

Vt dicit Minius. *Impudica Mulier citius vno oculo contenta erit, quam vno viro.*

Imo apud Romanos *quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ donabantur.* Teſte Valer. Imp.

Inſtitutio coniugij eſt ad Sobolis procreationem & eius educationem: deinde ad auxilium & remedium contra incontinentiam.

In vxore eligenda maior inprimis famæ, quam formæ habenda ratio eſt, itẽ virtutis potius, quam dotis.

Sapiens c. 19. Domus & diuitiæ dantur à Parentibus,

Perſarum Reges plures habebant, quæ noctes partiebantur. Pro ijs vrbes contribuebant, vna in collũ, alia in redimiculum, alia in cines.

Vnam Adamus habuit vnam Noë in arca.

Sen. in Agam.

Nec regna ſocium ferre nec tedæ ſciunt.

Propert.

Exemplo iunctæ tibi ſint in amore columbæ; maſculus & totum famina coniugium.

bus, à Iehoua autem eſt vxor prudens.

Plautus, vxor eligenda eſt auribus, non digitis. Id eſt, attendere ad famam virtutis oportet, non dotem numerare.

Lycurgus prohibuit dari dotem cum virgine, vt virgines magis virtuti, & Ciues amori ſtuderent. Themiſtocles maluit honeſto, quam diuiti filiam dare, malo, inquit, habere virum carentem pecunia, quam pecuniam carentem viro.

Scio equidem *Formoſam raró non ſibi quiſque petit.* ait Propertius Lib.2.Ecl.3. *Verum quid forma?*

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Ouid. Lib. 2. de Art.

Magno periculo cuſtoditur, quod multis placet, ait Publius Syrus. Et Satyricus.

—— *Rara eſt adeo concordia formæ,*
Atque pudicitiæ.

Idem — *Vetat optari faciem lucretia, qualem*
Ipſa habuit; cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque ſuam rutilæ dare.

Omnes equidem amant formoſiſſimam. Vnde Poëta.

Si verum excutias, facies non vxor amatur:
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores,
Colligе ſarcinulas, dicit libertus, & exi

Iam

Iam Grauis es nobis. Iuuen. 6. Satyr. Tamen non rarò.

Et genus & formam Regina pecunia donat.

Quæ ſatis opulenta eſt, ſatis pulchra eſt.

Amplæ dotis murmure aures perſtringuntur & auri ſplendore ita oculi obfuſcantur, vt non tantum deformitas non appareat ſed etiam deformis formoſa videatur. Plautus in Perſa.

Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores vides?
Quo iuſmodi? Hic cum mala fama facie nubitur,
Dum dos ſit, nullum vitium vitio vertitur.

Optima eſt forma media, quæ à nimiæ pulchritudinis periculo abeſt, & ſummo deformitatis odio vacat.

Quod attinet ad dotem.

Seruanda æqualitas, vnde non nimis diues eligenda. Anaxandrides apud Stobæum.

Qui namque egenus ducit vxorem domum
Ditem, Dominam hic, vxorem haud habet ſibi.

Cum ſeruus eius ſit. Iuuenil. 6. Satyr.

Veniunt à dote ſagittæ
Intolerabilius nihil eſt, quam fœmina Diues.

Mart. *Vxorem, quare locupletem ducere nolim*
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit Priſce marito
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Triſponius I. C. conquerebatur apud Alphonſum Regem Arag. quod fures abſtuliſſent ei trecentos au-

reos qui ſupererant ex dote, & tamen adhuc vxor viueret, tum Rex, profectò melius fures tibi vxorem, quam pecuniam abſtuliſſent.

Seruanda etiam æqualitas in conditione vitæ quia inæqualem conditionem ſequitur plerumque contemptus. Ideò apud Iſaros leges volebant, vt Nobilis Nobilem, liber liberam, ſeruus ſeruam duceret, qui ſecus faceret, vitam amitteret.

Qui nubem hanc frontis muliebris cupit vitare dicat cum Iuuenale Sat. 6.

Malo Venuſinam, quam te Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus adfers
Grande ſupercilium, & numeras cum dote triumphos
Tolle tuum precor Hannibalem.

Hæc mens Catoni, & Plutar. qui nobiliorem, quam opulentiorem duxit, exiſtimans æquè vtraſque elatas eſſe ac ſuperciliosas, ſed Nobiles rubore quodam verecundiæ obſequentiores viris ad honeſta.

Æqualitas etiam ætatis attendenda.

De vtriſque illud Ouid. Ep. 9.

Turpe Senex Miles turpe ſenilis amor. Quis quærat violas, vbi tantū ſunt ſpinæ nihil iuueni cum larua.

Quam male inæquales veniunt ad aratra Iuuenci
Tam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Etſi vero vxor nomen ſit dignitatis, non eſt tamen domina, ſed ſocia. Dominium viro tam diuinis, quam humanis legibus conceditur. Caput mulieris vir eſt, à

natura

natura factus ad imperandum aptior muliere, quæ propter virum facta eſt.

Ludouicus XI. Gal. Rex ad vxorem ſuam flagrantem dominandi cupiditate dicebat; Principio Ceruas cum ceruis altis cornibus inſignitas à natura fuiſſe, at cum ceruæ ceruis ſe præferrent indignatumDeum imperaſſe, vt in poſterum ceruæ ſine cornibus eſſent. Admonebat Reginam ne ſua inſolentia ſibi potentiam minueret.

Anglia eſt fœminarũ paradiſus ſeruorum purgatoriũ infernus equorum.

Non eſt tamen vxor Ancilla. Vnde merito Plato Lib. 7. de Leg. reprehendit Thraces vxoribus vt ancillis vtentes vel potius abutentes.

Multò minùs probanda lex Mahumeti, & ſectatorum eius conſuetudo, qui Mulieres pro Belluis habent. Meritò illi Barbari.

Vxor formata ex coſta viri, non ex pede eſt. Ariſt. I. Polit. Maritus, inquit, & vxor, ſunt duo Magiſtratus ille maior, hæc minor, minor à maiore pendet eique obtemperat.

Olorus Thraciæ Rex Iuſt. Lib. 32. voluit vacos à ſe victos vxoribus ſeruire; ſed id ad ſempiternam ignominiam.

Quanquam olim apud Sacas nupturæ cum ſponſo certamen inibant; ſponſa ſi ſuperior eſſet, tota vita ſeruiebat; ſi ſecus imperabat. Ælian. Lib. 12.

Satis vxori ſit, quod viri ſit ſocia; & in hoc eius dig-

nitas. Turpe eſt ſi de marito illud Iuuenalis Saty. 6. dicatur.

Nil vnquam inuita donabis coniuge; vendes
Hac obſtante nihil; nihil, hac ſi nolit, emetur.

Quod Romanis Cato exprobrare ſolebat, eos omnibus gentibus armis imperitare, ipſis vero vxores.
Philemon Comicus.

Vxor improbi viri dicit ſe habere dæmonem domi. Vir qui habet malam vxorem dicit ſe Orcum habere.

Vxoris eſt munus probæ, ô Nicoſtrate,
Supra virum ne ſe putet, ſed ſubditam
Vxor maritum, quæ ſupra eſt, magnum eſt malum.

Mulier referre debet teſtudinem, quæ domum circumfert, hoc eſt domi manere. Hinc Phias Venerem finxit apud Elienſes, quæ teſtudinem pedibus premeret.

Apud Ægyptios illis calceorum vſus interdictus erat, vt in publico non conſpicerentur. Et veteres nouam nuptam in pelle lanata conſidere iubebant, vt innuerent lanificij operam illi præſtandam.

Romanæ ſeptem fugiebant 1. Ne inter ſpectacula fabularentur. 2. Ne ſe cibis ingurgitarent, 3. Ne vinum biberent niſi ægræ. 4. Ne ſecreto cum viris colloquerentur. 5. Ne oculos in fanis attollerent. 6. Ne de feneſtris proſpectarent. 7. Ne domo ſine maritis exirent. Quæ ſecus faciebat erat infamis.

Alciatus in præfatione Regularum Iuris dubitatum ſe vidiſſe ait de maritò, qui vxorem baculo percuſſe-

cuſſerat. Poëta quidam.

Offendit cœlum, ſanctumque is ſoluit amorem,
Vxorem ſæua, qui ferit vſque manu.

Bernardus Syluester. Malam vxorem riſu potius, quam baculo emendabis.

Eſt vxor vitæ ſocia, non mancipium.

Cato tamen pro Oppia lege, præcipit ne fræna dentur indomito & impotenti animali; ne ſi par eſſe cœperit, continuo ſuperius eſſe velit non ſine maſculini ſexus infamia.

Calderus dicit non eſſe amputandam illis comam, vt mariti trahere & ligare eas poſſint.

Nouell. 18. ob certas cauſas permitti maritali poteſtati fuſtes & flagella.

SYMBOLVM

ÆLII ADRIANI CÆSARIS.

Non mihi ſed Populo.

ADRIANVS IMP. Dione teſte, frequenter in Senatu dicere ſolitus erat, *Imperium ita ſe, adminiſtraturum vt ſciret Rempublicam eſſe, non ſuam.* Vnde hoc eius formatum Symbolum, *Non mihi, ſed Populo.* Cuius ratio eſt, quod Princeps bonus, eorum, quibus præeſt, commodis vtilitatique ſeruiat. Et in hoc potiſſimum Rex differt à Tyranno; ille Populi vtilitatem, hic ſuam quærit, & ſummum crimen putat, pcpulum aut Remp. diuitem eſſe teſte Iſocrate. Quam ob cauſam vt præcipit Sen. Lib. 1. de Clem. Princeps exiſtimare debet non Rempublicam ſuam, ſed ſe potius eſſe Reip. Quia, vt ait Liuius, Reſp. incolumis, res ſeruat priuatas.

Menander. *Hoc viuere eſt ſoli ſibi non viuere.*
Nam, vt Plato ad Architam, non ſibi ſoli natum ſe homo meminerit, ſed Patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars illi relinquatur.

Itaque inter homines non inter arbores homini viuendum eſt, vt idem Plato, monet, vt non ſolum nobis vtiles eſſe velimus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque Reipublicæ.

Sic

Sic boni viri eſt commiſſum ſibi Reip. munus admittere libenter, & pro virili curare, in eoque adminiſtrando nihil temere deſperare. Nec enim tam decet Remp. geſſiſſe, quam gerere, vt Simonides ait apud Plutarchum.

Neque vero tantum Principes & Reges dicere debent *Non mihi, ſed Populo*, verum etiam omnes Reip. adminiſtratores.

Plato de Rep. Qui præſunt Reip. vtilitatem Ciuium ſic tueantur, vt quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Quare? Idem vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad vtilitatem eorum qui commiſſi ſunt, gerenda eſt. Idem monet Seneca Principi non ſeruitutem ciuium, ſed tutelam traditam eſſe, quorum ipſe & tutor & defenſor: imo Pater eſſe debeat.

Claudianus ad Honorium.

Tu ciuem Patremque geras, tu conſule cunctis,
Nec tibi; nec tua te moueant, ſed publica vota.

Cic. Orat. Agr. Si conſulis populo, remoue te à ſuſpicione alicuius commodi tui, fac fidem te nihil niſi populi vtilitatem & fructum quærere.

Et ad Quint. Fratrem. Huc omnia referenda ſunt ab ijs qui præſunt alijs, vt qui eorum in imperio erunt ſint quam beatiſſimi.

Flauius Vopiſcus in Tacito, Principem omnibus tanquam patrem conſulere debere. Quoniam ingens

eſt

eſt gloria morientis Principis, Remp. magis amare, quam liberos.

P. Scipio Naſica patriam cognationi præferens, quicquid publicè ſalutare non eſſet, priuatim alienum exiſtimauit, ob quam virtutem primus omnium abſens Pontifex Maximus factus eſt. Vell. Paterc.

Plautus in Trinummo. Ne Magiſtratus pauciorum gratiam faciat pluris, quam id, quod proſit pluribus.

Themiſtocles & Ariſtides cum onus aliquod Reip. capeſſerent, in finibus Athenienſium priuata odia deponebant, eo tamen animo, vt ſi opus eſſet, illa reduces reſumerent.

Huius rei admirandum præbuit exemplum. Q. Fab. Maximus. Cum Populo Rom. conduceret maxime, vt L. Papirius ob eximiam virtutem dictator crearetur, neque creari poſſet, niſi ab ipſo Conſule (qui tum erat Fab. Max. Papyrio infeſtiſſimus) appellaretur, miſſi Legati ſunt ad Fabium, qui rogauerunt, vt memoriam ſimultatum Patriæ remitteret. Tum Fabius dimiſſis in terram oculis à Legatis receſſit, nocte tantum quæ ſecuta eſt, ſilentio, vt moris erat, Papyrium Dictatorem dixit. Cum Legati gratias agerent propter reportatam de ſe victoriam, nihil reſpondens, deque ſe nihil profeſſus obſtinato ſilentio Legatos dimiſit, vt appareret inſignem dolorem ingenti comprimi animo.

Non

Non minus mirabile. Tib. Gracchus P. Scipioni Aphricano & eius fratri Lucio infectus tribunitiam partem obtinebat. Interim coram eo Liuius cauſam ſui fratris peculatus rei, qui ad Linternum ſeceſſerat, cauſam agebat & cum omnes ſententiam aſperrimam, à Graccho expectarent inſperato Scipiones abſoluit, adiurans tamen *ſibi inimicitias cum Scipionibus, quæ fuiſſent, manere, nec ſe gratiæ quærendæ quicquam feciſſe.*

Dixit etiam Seruilius *pluris ſe Remp. quam Collegarum gratiam facere.*

Inter Claudium Neronem & Liuium Salinatorem acris intercedebat ſimultas, vicit nihilominus Reip. auctoritas, vt depoſitis odijs, communibus conſilijs, animiſque concordibus Remp. gubernarent.

Multa Cic. Orat. de Prouincijs Conſularibus, de ijs qui in gratiam redierunt ex inimiciſſimis.

Alciatus Emblemate CXLIV. Delphinum anchoræ implicatum habet, cum hac inſcriptione, *Princeps ſubditorum incolumitatem procurans.* Epigramma.

Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miſeros nautas anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius vt poſſit figier illa vadis.
Quam decet hæc memores geſtare inſignia Reges,
Anchora quod nautis ſe populo eſſe ſuo?

Hinc Ammianus Lib. 19. grauiter pronunciauit,

Imperium curam eſſe ſalutis alienæ Sunt Principes nati non ſibi, ſed ad publicam omnium quietem.

Plinius Lib. 18. ait Delphinum futuram tempeſtatem præſagire quare ſi nauem ventis agitatam offenderit, tutius vt figatur, anchoram quaſi humano quodam inſtinctu, dirigit. Sic Princeps ſuorum ſtudioſus eſſe debet, potiſſimum ſæuiente tempeſtate & impetu belli.

Delphinum anchorę alligatum pro inſigni & ſtemmate publico geſſerunt olim, Auguſtus, Veſpaſianus, Seleucus, Nicanor, &c. In ſcuto Vlyſſis depictus fuit Delphinus.

Antoninus Pius, teſte Capitolino, cum ab vxore argueretur, quaſi ſuis, parum relicturus, dixit, ſtulta poſtquam ad Imperium tranſiuimus, & illud quod habuimus ante perdidimus.

Cic. Philip. 8. ô Dij immortales, quam magnum eſt perſonam in Rep. tueri Principis, quæ non animis ſolum debet, ſed etiam oculis ſeruire ciuium.

Iſocrates ad Regem Nicoclem, Cyprum, oportet exiſtimes te non vnum ex multis, ſed multorum Principem exiſtentem, non tuam ipſius habere mentem cum alijs, i. aliorum inſeruire affectibus debere, neque honeſta conſilia, neque rectè ſentientes homines voluptatiles æſtimare, ſed vtilibus actionibus probare.

Tribunus plebis integro die abeſſe ab vrbe nó poterat,

rat, ne forte deeſſet auxilium ciuibus.

Item Tribuni plebis domus cuiuis patebat, noctu & interdiu fores erant recluſæ, vt præberet congreſſus faciles, neminem aditu arceret, cuiuis opem ferenti præſto eſſet. Alex. ab Alex. Lib. 1. c. 3.

Prætor Vrbanus plus decem continuis diebus Roma abeſſe non poterat.

Claudius Imp. legem tulit, ne Senatori vltra ſeptimum ab Vrbe Lapidem iniuſſu Imperatoris abeſſe liceret. Suidas.

In Hiſp. Gallia, Polonia, Dania Imp. Reges in ſolemni inauguratione promittunt ſe omnia iura Priuilegia, libertates ſeruaturos. Idem Brabantiæ Duces.

Cùm à Ioanne Angliæ Rege Proceres petijſſent, vt antiquas Patriæ leges confirmaret, ſicut iurauerat, reſpondiſſetque ſe non magis velle aut poſſe, quam diadema Regni tradere. Proceres contra retulerunt ſe eum bello ſempiterno proſecuturos. Statim omnes, & ipſi Domeſtici eum deſeruerunt, donec tandem aſſenſit eorum petitioni.

Ex XII. tabulis *Salus Populi ſuprema lex eſto.*

Emblema Grus tenens pede lapidem. *Pro Grege.*

Pro grege pennigerum vigilat monitore lapillo
Agminis innumeri dux Palamedis auis.
Pro grege terrigenum quos fas defendere ferro
Lege monente ſuas lex agit excubias.

Pericles quoties clamydem induebat, ita ſeipſum admonebat, *attende pericles, liberis imperas, Græcis imperas, Athenienſibus imperas.*

Vnica vtebatur in vrbe via, & quidem ea, quæ ad forum & Curiam duceret.

Omnia conuiuia vitauit, & ad nullius amicorum cœnam venit, quamdiu fuit in Rep. Cum ſemel tamen iuiſſet ad Nuptias conſobrini ſui Euryptolemi ſtatim libatione perfectâ diſceſſit.

Eodẽ modo Demoſthenes vnicâ ad Curiam via fere vſus eſt. Imo barbã & capillos deformabat aliquando vt continere ſe domi cogeretur, & tantũ Reip. vacare.

De Cleone refert Plutarchus, quod Magiſtratum geſturus amicos omnes conuocauerit, eorumque amicitiæ prorſus renunciauerit. Quod non ſibi ſed populo viuere vellet: quod amicitia ſæpe à iuſtitia abduceret.

Contrarium, quoad amicos Themiſtocles, qui dicebat tali in ſolio nolle ſe ſedere, in quo non plus amicis, quam alijs prodeſſe poſſet.

Refert Pauſanias de ſolemno amne quod eam vim habeat, vt qui ſeſe in eo abluerint amorem illico ſuorum obliuiſcantur.

Sed hic fons iam pridem exaruit; multa tamen pecunia iterum Magiſtratibus comparandus.

Ille amor frangit ſæpius generoſos & facit cæcutire. Ageſilaus etiam in mala cauſa amicos contra Remp. defendebat.

SYMBOLVM
M. AVRELII ANTONINI PHILOSOPHI.
Conſulendum & parendum conſilio.

M. Avrelivs Imp. vt Princeps per omnia moderatiſſimus, ita fortiſſimus Imperator. Inter alia hoc elogium tulit, Dione & Suida teſte, *quod ſui ſemper ſimilis in omnibus fuerit*, non variabilis non mutabilis. Is vero tantus & tam prudens Imp. vere bonus & nihil ſimulati habens nihil vnquam agere ſolitus fuit ſine conſilio Senatus & Iuriſperitorum. Quam ob cauſam reprehenſus à quodam quod nimio plus tribueret amicorum conſilijs, *Quanto*, inquit, *æquius eſt, me tot taliumque amicorum ſequi conſilia, quam tot & tales amicos omnes meam vnius ſequi voluntatem.* id eſt

Sentiebat enim qui omnia de ſua agit ſententia ſuperbum magis, quam ſapientem iudicandum eſſe, vt Liuius 4. Dec. 5.

Plautus in Milite, *Nemo ſolus ſapit.*

Creon apud Euripidem. Vnus vir non videt omnia. Plus enim vident oculi, quam oculus. *In Phæniſſis.*

Sophocles, *ſibi placere infelix eſt inſania.* *In Antigona.*

Sotades eiuſmodi arrogantiam *vocat Himitū ſtultitiæ.*

Corn. Tacitus. *Nullum maius boni Imperij inſtrumentum eſt, quam bonus amicus I. Conſiliarius.*

Saluſt. Non exercitus, neque theſauri præſidia Regni ſunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro probare queas, officio & fide probantur.

Darius Hydaſpes Rex Perſarum cum in manu haberet pomum punicum, nihil magis optare ſe faſſus eſt, quam vt tot Zopyros haberet, quot grana haberet pomum illud punicum.

Agamemnon decem Neſtores optabat.

Alexander Seuerus laudatur, quod nihil vnquam rei maioris decernere ſolitus fuerit, ſine XII. aut XX. Iuriſperitis, in quorum numero Vlpianus, & alij.

Machiauellus & eius ſectarij, Principem non debere vti conſilio.

1. Bonum conſilium ex ipſius Principis mente ac prudentia naſci debet, non contra.

2. Princeps, qui per ſe non ſapit, ei conſilia non facile dari poſſunt.

Magni Conſiliarij non ſunt ſignum prudentis Principis dici communiter ſolet.

At vero plane neceſſarij ſunt, qui conſilium dant. Fieri enim non poteſt, inquit Oſorius Lib. 6. de Reg. Iuſt. vt vno tantum ingenio cuncta, quæ regibus ſunt excogitanda, prouideantur; aut vnius oculis omnia, quæ ſunt in Rep. ſpeculanda, cernantur, aut vnius auribus,

omnia

omnia poſtulata & querelę audiantur, nemo omnium qui omnia audiat vnus, omnia videat vnus.

Menander, *Conſilium in omni praeat negotio,*
Conſilio aliud haud eſſe tutius poteſt.

Alius Poëta,

Non vni dat cuncta Deus, quid proferat alter
Diſce, ferent aliquod mutua ſenſa bonum.

Vbi multa conſilia, ibi ſalus. Prouerb. cap. XI.

Nec refert an quis ſit valde prudens. *Medicus aegrotans, alios ſibi adhibet Medicos.*

Notum illud *Sapientum congreſſu principes ſapiunt.*

Cardinalis Aldebrandinus. *Conſilium Reip. firmamentum appellabat.*

Ariſteus apud Poëtas ſumitur pro conſilio, quia Ariſteus rationem habet vtilitatis; artem olei & mellis inuenit; illa autem hominibus robur ſanis, infirmis incolumitatem miniſtrant.

Idem dicebat, *conſilium eſſe Principatus baculum.*

Porrò duo dicit hoc Symbolum Conſulendum & parendum conſilio de 4. dictum.

Nunc de ſecundò.

Cum multi bello capti venderentur Philippus Macedo in auctione ſedens parum decenter vel indecore veſtitus erat. Quidam ex illis qui vendebantur, parce mihi, inquit, Philippe, nam à Patre tibi ſum amicus. Rex vnde? Alter volo propius accedens tibi indicare, cum admiſſus

admiſſus eſſet, quaſi aliquid dicturus arcani, demitte, inquit Clamydem aliquantulum nam ad iſtum modum indecenter ſedes.

Tum Philippus, *hunc dimittite liberum, neſciebam illum verum mihi amicum eſſe.*

Tiberius vix quicquam ex ſe faciebat, de minimis etiam ad Senatum referebat.

Bias rogatus, quid eſſet, de quo boni & mali ſolliciti eſſe deberent; Reſp. de quærendis conſilijs & conſultoribus. Quod conſilijs res ſecundæ conſeruarentur, aduerſæ repellerentur.

Tacitus 13. Annal. Plura in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs, quam telis & manibus geruntur. Xenoph. *Multi debent eſſe Regum oculi, multæ aures.* Euripid. *Mens vna ſapiens plurium vincit manus.* Salom. Prouerb. 12. *Qui ſapiens eſt audit conſilia.* Eccleſ. 32. *Sine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.*

Cic. Pro cluentio. *Sapientiſſimum dicunt eſſe eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem; proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet.*

Hieron. Siciliæ Rex interfectus, quod rectè monentium conſilia contemneret &c. Liuius Lib. 3.

Romulus, eodem modo à Senatoribus.

Ludouicus XI. Galliæ Rex ſibi ſenſit exitioſum quod nulla de re Senatum conſulebat, ideo voluit filium Carolum ſcire tantum neſcit regnare qui neſcit diſſimulare

mulare, vt alienis conſilijs potius, quam ſuis ſapere & res gerere diſceret.

Cato lib. 1. de re ruſtica. *Romanus ſedendo vincit.* quod Imperium regeretur prudentia Senatorum.

Auguſtus Cæſar. Mecœnate & Agrippa fidiſſimis amicis & Conſiliarijs vſus eſt. Poſt eorũ mortem cum Iuliam filiam ſtupris famoſam relegaſſet, ſolus ſtans in cubiculo lachrymabatur, illos vocabat & exclamabat, *Horum mihi nihil accidiſſet, ſi Mæcenas aut Agrippa vixiſſet.*

Rex quidam Lacædemonienſis, quærenti qua ratione quis fidele & Perpetuum ſeruet regnum, reſpondit, *Si amicis iuſtam admonendi libertatem concedat.*

Hinc Adriano Imp. pergratum erat etiam ab infimæ ſortis homine commonefieri.

Tyranni ſunt qui hanc libertatem eripiunt.

Æſopi fabula. Leo quondam ęgrotabat iuxta cadauerum congeriem, habitabat in ſpelunca fœtida, cuius fœtor omniũ prętereuntium nares offendebat, inuiſit Leonem 1. Vrſus parum ad ciuilitatem aſſuefactus, rogat Leo an offenderetur fœtore ſpeluncæ, Malo, inquit hinc procul eſſe, quam hic eſſe, ferre omnino fœtorem iſtum non poſſum. Leo male ipſum multauit vitæ tamen parcens propter iſtam libertatem, 2. Venit Lupus, dixit ſe delectari odore ſpeluncæ, adeo vt nollet ei anteferre fragrantiam aromatum. Diſcerpſit eum

Leo propter impudentiſſimam aſſentationem, 3. Venit vulpes, dixit ſe non poſſe diſcernere bonum odorem à fœtido, quod, eo die ambulaſſet in nebulis & laborare pituita. Leo cum murmure diſſimulauit. Fabula docet difficile eſſe dare conſilium Tyranno, qui enim libere dicit, peccat, & amplius etiam, qui aſſentatur.

Lib. 6. de bene. Seneca: *Timor numquam fidele conſilium daturus eſt.*

Vnde Aug. Cæſar. Si quid publicè proponeret deliberandum, hortabatur vt ſententię liberrime dicerentur. *Pauidis conſilia in incerto ſunt.*

Idem Aug. in rebus grauioribus conſilia in ſabellis rogabat, vt liberiora eſſent, ita ſuadente Mecœnate.

Carolus V. dicere ſolebat primum prudentiæ gradum eſſe firmum propoſitum non errandi. Secundum auſcultare cum patientia & bona mente veritatem.

Theodoſius de Ambroſio. Ægrè tandem reperi veritatis Magiſtrum.

S. Ludouicus Gal. Rex. filio inter præcepta gubernandi. *Ita te gerito, vt qui tibi ſunt à confeſſionibus & conſilijs libere te admoneant, doceantque quid in omnibus negotijs ſequendum fugiendumve ſit.*

Leopardus congreſſurus cum Leone cuniculum agit, cuius vtrimq; ſit latum ori-

Grego. Nazian. In eo qui dat conſilium requirit os liberum, ingentem Charitatem, rerum vſum.

Qui liber non eſt, ſimilis eſt Militi armato, qui educere vagina gladium non poteſt.

Solon conſulenda non quæ ſuauiſſima, ſed quæ optima.

Seneca:

Seneca 6. de benef. cap. 30. *Monſtrabo tibi cuius inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit*, ſcilicet ille qui verum dicat. Cap. 31. Subijcit exemplum Xerxis, qui cum vellet Græciæ inferre bellum, & alij per adulationem ei aſſentirentur, Damaratus Lacedemonijs ſitus diſſuaſit. Poſt infelicem exitum, pudore quam damno miſerior Damarato gratias egit, quod ſolus verum dixiſſet, & petere quod vellet permiſit.

Antigonus Zenone Philoſopho defuncto dicebat geſtorum ſuorum Theatrum eſſe ſublatum, quod ad eius iudicium vitam ſuam componeret, quem pro multis millibus hominum habebat.

Vegetius. *Quid fieri debeat tractato cum multis, quid facturus ſis cum paucis fideliſſimis.*

Auguſtus ex Senatu, 15. mox 20. legit priuatos Conſiliarios.

Carth. 400. Senatores: ſed 30. in arcano conſilio. Philipp. 2. Hiſp. Conſtituit priuatum Conſilium. Præſide Viglio, pro Ducisſa Parmenſi.

ſicium ſed in medio anguſtus tranſitus, ita vt ipſa vix euadat, ſed Leo ne vix quidē: ſimulata igitur fuga in cōgreſſu Leo inſequitur ſed intercipitur anguſtijs in medio, vt nec regredi poſſit; tunc adeſt Leopardus & Leonem dolo diſtentum laniat &c.

SYMBOLVM

FL. IVSTINI IVNIORIS

Libertas res ineſtimabilis.

Eurip. Nã liberum eſſe maximum dico bonũ. *Diogenes apud Laert. Quid optimũ eſt inter homines? libertas.*

O*Mnes profectò liberi libentius*
Sumus, quam ſeruimus. Plautus in captiuis. Cæſar 2. Belli Gallici. *Omnes homines natura libertati ſtudent, & conditionem ſeruitutis oderũt.* Ad decus *& libertatem nati ſumus,* inquit, *Tullius* Secundũ Auguſt. *Naturalis eſt hominis libertas.* Natura enim omnes liberos produxit. *Quo fit vt nulla voluptas ingenuis viris ſuauior ſit ipſa libertate: Quæ & ipſa,* inquit Liuius, *ſatis habet dulcedinis & cuius deſiderium omnibus innatum eſt, adeoq́ omnium humanorum bonorum libertas maximum putatur.* Contra ſeruitus omnis eſt acerba.

Mimus. *Acerba eſt omnis homini ingenuo ſeruitus.*

Seneca in Troiade.

Si pœna petitur, quæ peti grauior poteſt?
Famulare collo nobili ſubeat iugum.

Romani autem ſemper indecorum iudicauerunt ſeruire ſe alijs ac maximè barbaris. Vnde hic Imperator amans libertatis, Turpe dicebat, Romanos Perſis vectigales eſſe, quibus quingentas libras annuas penderent. Itaque illud aurum retinuit, & fœdere inito cum Aretha Rege Æthiopum Perſis bellum intulit, & vicit.

vicit. *Inde libertas res ineſtibilitatis*. Secundum Iuriſconſul. *Liber homo non recipit, æſtimationem, cui ſemper ingratum eſt pretium ſeruitutis*, ait Q. Curtius.

Seneca Epiſtola 76. *Ineſtimabile bonum eſt ſuum fieri.*

Idem Epiſt. 105. *Non poteſt paruo conſtare libertas, hanc ſi magno æſtimas, omnia paruo æſtimanda ſunt.*



SYMBOLVM
P. HELVII PERTINACIS IMPERATORIS.
Militemus.

P. Helvidivs Imp. dicere ſolebat, *non perinde gratam eſſe hominibus libertatem, quam moleſtam ſeruitutem.* Quo ferè ſenſu dixit Cicero de Officijs, *Acriores ſunt morſus intermiſſæ libertatis, quam retentæ.* Quia acrius deſideratur libertas amiſſa ad tempus, quam numquam habita; quemadmodum cibi illi magis delectant, quibus diu vſi non fuerimus.

Cum ergo hic Imperator videret Imperio Romano iugum acerbiſſimum ſeruitutis imminere, adſcitus ipſe ad imperium, vt illud repelleret, Symbolum hoc Tribuno Militum dedit *Militemus,* & illud etiam eius fuit. Quo Symbolo dicere volebat potius quoduis bellum ſuſcipiendum, quam indignè ſeruiendum.

Et verò teſte Cicerone cum Pop. Romanis is eſſet, quẽ Dij immortales omnibus Gentibus imperare voluerant & cuius propria & peculiaris quaſi libertas eſſe debebat, ideo iudicabat nullum omnino caſum Imperatori non ferendum eſſe pro eius libertate & dignitate, omninoq; quiduis potius facere & emori in bello

opor-

oportere, quam ſeruire, aut in ſeruitute viuere.
Magnus ineſt omnibus libertatis amor, propterea quod ipſa Pax ſit tranquilla libertas, vt ait, Cic. Philip. 2. Seruitus autem poſtremum malorum omnium non modo bello, ſed morte etiam repellendum.

Et Philip. x. *Ita præclara eſt recuperatio libertatis vt ne mors quidem ſit in repetenda libertate fugienda.*
Cui reſpondet illud Plauti in Amphit.

Omni malo & omni exitio peior ſeruitus,
Quem Iupiter odit, ſeruum hunc primum facit.

Saluſt. *Potior periculoſa libertas, quieto ſeruitio.*
Idem. *Libertas iuxta bonis & malis, ſtrenuis & ignauis optabilis eſt, quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit.*

Paulus. Iuriſconſultus *libertas eſt res ineſtimabilis,*

SenecaEpiſt. 105. *Non poteſt paruo conſtare libertas; hanc ſi magno æſtimas, omnia paruo æſtimanda ſunt.* Quare?

Quia ineſtimabile bonum eſt ſuũ fieri. Idem Ep. 76.

Iul. Cæſar. *Omnes homines natura ſtudent libertati & conditionem ſeruitutis oderunt.*

Hinc cum Demoſthene dicendum & ſentiendum:
Glorioſum bellum turpi pace optabilius eſſe.

Quàm ad rem pulchre Polybius. Metuendum eſſe bellum equidem non abnuo, ſed non vſque adeò metuendum, vt eius vitandi gratia omnia velis ſufferre. Quo enim iuris æquabilitas nobis, & facultas ex æquo dicendi, quæ ſentias, quo libertatis nomen, quæ fero-

citer, admodum iactitamus, ſi nihil eſt omnium, quod potius ducamus pace? Conſequenter. neque enim Thebanos laudamus, qui belli Medici tempore pericula refugientes pro communi Græciæ Salute (libertate) obeunda præ formidine Perſis ſe adiunxerunt. Neque Pindarum qui ſententiæ ipſorum aſſentiens de conſeruanda quiete in ſuis Poëmatibus ſic ait. *Pro ſe quiſque ciuium tranquillitati conſulens, quietis magnanimæ lætum iubar requirito.* Vt enim iuſta pace & honeſta nihil pulchrius, nihil vtilius, ſic ea quam vel ignauia, vel ſeruitus infamant, nihil neque turpius, neque magis noxium eſt.

Illud apud Politicos certum ex hoc loco præſtare bellum, quam turpem Pacem, quæ nihil aliud, quam ſeruitus eſt.

Herennius Princeps Samnitum, cum rogaretur, quid faciendum de Romanis ad furcas Caudinas concluſis aut omnes, inquit, incolumes dimittite, aut omnes mactate. Si dimittantur fient amici; ſi occidantur hoſtes ij amplius nõ erunt, & eorum ſtatus multum concutietur. Non eſſe autẽ dimittendos certa conditione, quod ſic non eſſent futuri amici & poſtea nunquam illud facturi quod extrema neceſſitate feciſſent coacti.

Alciatus Emblema 50. Ponit Numiſma illud in quo duo pugiones cum pileo, quod occiſo Cæſare fabricitatum eſt, cum ijs verbis *Libertas reſtituta* vel *Reſp. Liberata* Pugiones cædem patratam ſignificabant; pileus libertatem reſtitutam. Hinc ad pileum vocare,

apud

apudGellium Lib.7.Noct.A.c.4. Libertas etiam apud Valerium Pierium per *manus explicatas*, ſignificatur.

Philip.Rex Maced. ducto exercitu in agros Lacedemoniorum cum res eſſent eo in ſtatu, vt videretur omnes interempturus, dixit cuidam Lacedæmonienſi Quid nunc facietis?At ille, Quid, inquit, aliud, niſi quod fortiter moriemur, quando nos ſoli Græcorum liberi eſſe, non aliis ſeruire didicimus. Nemo ſeruire cogitur, qui mori paratus eſt.

Pari ratione Brutus in Tarquiniorum eiectione, dicebat,Ex duobus alterum eligendum, aut vitam liberam, aut mortem glorioſam.

Diogenes interrogatus, Quid eſſet in vita optimum? Libertas inquit.

In Fabulis, Lupus mirabatur nitorem canis corpulenti, & prædicabat felicitatem eius. Canis, Veni inquit mecum & eadem fruere, Dum eunt aduertit Lupus tritos pilos in collo canis, An inquit etiam iugum ſuſtines? Ceruix enim glabra indicat.Tum canis de die, ligor, vt noctu ſim acrior & ferocior, Lupus, Vale, inquit, nihil moror talem ſeruilem felicitatem.

Illuſtre exemplum in Thraſybulo, Nam cum xxx. Tyranni impoſiti à Lacedæmonijs ſeruitute oppreſſas tenerent Athenas, occiderent, expellerent, bonis priuarent, Tum ille *Militemus*, confugit in arcem Phylem cum xxx. Athenienſibus, *Hoc robur*

clariſſimæ libertatis fuit, inquit, Æmilius Probus, Poſtea paulatim coactis copijs alijs, eiecit 30. Tyrannos & Patriæ reſtituit libertatem, Donatus corona eſt à Populo facta duabus virgulis oleaginis.

Bene Lucanus — *Sed regna timentur*
Ob ferrum, & ſæuis libertas vritur armis,
Ignoratque datos ne quiſquam ſeruiat enſes.

Rogata quædam Lacæna in auctione cum venderetur, quid ſciret? Libera, inquit, eſſe. Cum emptor imperaſſet quædam non conuenientia liberæ, Plorabis, inquit, qui tibi ipſi talem inuideris poſſeſſionem, mox ſibi necem intulit.

Puer Spartanus captus ab Antigono Rege, & venditus omnia quæ liberum decebant libenter faciebat, & obſequens Hero erat. Iuſſus tenere vel ferre matulam. Non ſeruiam, inquit, cum vrgeretur conſcenſo tecto, ſe præcipitem dedit, Captiuus eſſe poterat, ſeruire non poterat, in libertatem ſe morte aſſeruit.

Meton Tarentinus, cum decretum eſſet, vt vocaretur Pyrrhus accepta corona & lampade præcedente tibicine venit in concionem, vbi cum alijs ridentibus alijs, applaudentibus inuitaretur vt in mediam concionem prærumperet, venit, & quaſi cantaturus adſtitit. Facto ſilentio, *Bene facitis*, inquit, *Tarentini quod iocari & ludere volentibus permittitis dum licet, ſi tamen ſapitis, & vos libertate hac fruamini antequam Pyrrhus aduoniat.*

Venit

Venit Pyrrhus & hanc libertatem abſtulit, prohibuit tripudia & ludos.

Idem Pyrrhus venerat Athenas & re diuina facta monuit Athenienſes, ne poſthac cuiquam Regum portas aperirent ſi libertatem amarent. Significabat Regibus inuiſam eſſe libertatem.

Cum Carolus Octauus Francorum Rex Florentinis duriſſimas fœderis contra libertatem conditiones imponere vellet, eaſque de ſcripto Regius ſcriba recitaret, ibi Petrus Caponius ad Regem tum miſſus chartam è ſcribæ manu arripuit, lacerauit, & inſpectante Rege conculcans, *Quandoquidem*, inquit, *vos Franci tam iniqua poſtulatis, agite tubas veſtras inflate, nos campanas noſtras pulſabimus*, qua voce verè libera ita Gallos & Regem terruit, vt Patriæ ſuæ libertatem reſtituerit.

Buris & Spartes Lacedæmonij, cum timerent propter occiſos Legatos Perſarum, ne in ſeruitutem redigerentur, ad Regem Xerxem abierunt, & ſe morti pro patria obtulerunt. Xerxes iuſſit eos remanere apud ſe. Et cum Duces inſtarent & honores offerrent, ſcimus, inquiunt, quam ingens bonum ſit libertas, quam nemo ſanus cum Regno Perſarum commutarit.

Difficilem victoriam fecit Romanis olim contra tot Gentes amor conſeruandæ libertatis, quam & ipſi Romæ non tulerint.

In Corcyra Optimates, dum Græcia trahitur in fa-

ctiones, ſuperiores facti, populo libertatem eripuerant. Venerunt in Auxilium Athenienſes capti & detruſi in carcerem optimates, vnde denos ſimul ad ſupplicium educebant. Cum optimates ad ſe miſſos aditu prohiberent & læderent, populus concitato tumultu tabulatum carceribus impoſitum aperuit, & ruina murorum vniuerſos ſimul ſuffocauit.

Putat chriſtianã religionem impedire libertatem. Fatemur quod minus ſint libertatis amatores, quia libenter ſe ſubmittunt Imperijs iuſtis.

Machiauellus vnicam Gentem hodie in qua ſint liberæ Ciuitates. Non enim vllam exiſtimat libertatem vbi Monarchia eſt.

Hodie liberæ cenſentur, Venetiæ, Genua, Rachuſæ, Heluetiæ, Hollandiæ, & Germaniæ vrbes, item Poloniæ Regnum.

Hæretici in Democratia ponunt libertatem.

Claudianus Lib. 3.

Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Seruitium, nuſquam libertas gratior exſtat
Quam ſub Rege pio.

Parere iuſto & ſecundum leges imperio non eſt ſeruitus, ſed tutiſſima libertas.

SYM-

SYMBOLVM
FLAVII MARTIANI.
Pax bello melior.

HIc Imperator mitis, admodum & moderatus numquam arma niſi prouocatus ſumpſit. Solebat dicere Imperatoria arma non eſſe induenda, dum in pace eſſe poſſit. Zonaras. Velut Pomponius Lætus.

Donec liceat in pace viuere non decere Principem ſumere arma.

Nam ob hanc ipſam cauſam, inquit Cic. in Officijs, ſolum bella ſuſcipienda ſunt, vt in pace ſine iniuria viuatur.

Teſte Liuio Pacem etiam colunt, qui vincere poſſunt. Melior eſt, tutiorque certa pax, quam ſperata victoria, cum nulla victoria tam feliciter ceſſerit, quin plus attulerit mali.

Secundum Tullium iniquiſſima pax iuſto bello anteponenda eſt.

Pax homines ſæuas trux decet eſſe feras.

Pindarus in Pythijs filiam Iuſtitię pacem nominat. Quę magnas vrbes poſſideat, quæ Conſiliorum & Bellorum claues poſſideat.

SYMBOLVM

L. SEPTIMII SEVERI IMP:

Laboremus.

CVm Heluidius Pertinax Imperator Tribuno Militum hoc Symbolum dediſſet *Militemus.* L. Septimius Seuerus in Imperio poſtea ſuccedens eidem tribunó Militum Symbolum hoc dedit *Laboremus* & hoc etiam eius fuit. Illi placuit omen belli, huic vero pacis. Pacis enim gratia omne bellum ſuſcipitur, vt in ea ſine cujuſquam iniuria viuatur: qua ſublata, nec leges, nec iudicia eſſe poſſunt nec vlla omnino hominũ commercia aut artificia exerceri. Adeoq́ue Laboremus, id eſt habeamus pacem.

Dulce eſt nomen Pacis, inquit Cic. de legibus Agrarijs res vero ipſa tum iucunda tum ſalutaris qua non modo ij, quibus ſenſum Natura dedit, ſed etiam tecta atque agri lætari videntur.

Nam eſt illa Dea, ſecundum Philemonem amabilis & perhumana, quæ nuptias, feſta, cognatos, liberos, amicos, diuitias, ſanitatem, annonam, vinum, omnem denique voluptatem parit hominibus.

Vnde Sylius Italicus — *Pax optima rerum,*

Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis

Innu-

Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem
Et Ciues æquare potens.

Virgilius.

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Polybius, pax ſi iuſta ſit & honeſta, res eſt omnium rerum pulcherrima atque optima.

Liuius Melior tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria.

Auguſt. Pax maximum homini bonum, bellum maximum eſt malum.

Crœſus apud Herodotum cum ſe apud Cyrum excuſat ob bellum temere ſuſceptum. Nemo, inquit, tam imprudens eſt, vt bellum præferat Paci; quippè in hac liberi Parentes, in illo Parentes ſepeliunt liberos.

Hæc cum ita ſe habeant, meritò hic Imperator pacem bello præpoſuit. Is in extremo mortis articulo conſtitutus Remp. inquit, *accepi vbique turbatam, pacatam etiam Britannis relinquo. Equidem Imperium ego iam ſenex & æger pedibus, Antoninis meis firmum trado ſi boni erunt, ſin mali imbecillum.*

De illo ita Senatus iudicauit, *aut naſci eum, aut certè mori non debuiſſe.*

Celebratur hoc eius apopthegma. *Omnia fui, nihil tamen mihi expedit.*

Item caput imperare non pedes. Cum ex pedibus laborans animaduerteret in milites rebelles, qui videban-

tur idcirco illum comtemnere.

Ex his hæc de Pace Colligenda.

Primum eſt cum pax finis ſit belli, eos qui pacem habent bellum mouere non debere.

Cum Pyrrhus à Tarentinis vocatus eſſet in Italiam Cineas Orator Teſſalus ita ad illum. Romani bellicoſi feruntur, & bellicoſis gentibus imperare, ſi eos vincamus quo vertemus victoriam?

Pyr. Ilico tenebimus Italiam.

Cy. occupata Italia quid agemus?

Py. Vicina eſt Sicilia, manus porriget, diues Inſula, populoſa, captu facilis, illam expugnabimus.

Cyn. An Sicilia occupata finis erit?

Pyr. Minime, tum erit ad nutum Africa & Carthago quibus occupatis Macedoniam recuperare & Græciæ imperium tenere poterimus.

Cy. Quid tum vbi rerum potiti fuerimus?

Plutarchus in Pyrrho. Pyr. In alto otio viuemus, compotabimus quotidie & mutuis inter nos ſermonibus oblectabimus.

Tum Cyn. Et nunc quid obſtat, quo minus compotemus atque otium inter nos traducamus, cum iam teneamus hæc, & citra negotium ad manum ſint, quæ per ſanguinem, ſudores, diſcrimina petituri ſumus multaſque calamitates allaturi alijs, & accepturi. Pyrrhus contempto hoc conſilio ad bellum proceſſit, & in ciuitatis vnius obſidione ſaxo percuſſus perijt.

Qui

Qui pacis oliuam non ferunt, Martis haſtam acutam & amentatam ſentiunt.

Pax ergo dat illa omnia, quæ quæri bello poſſunt, NicolausReuſnerus.Ita illam deſcribit.EſtDea olea coronata, habet in gremio Plutum puerum Deum diuitiarum, iuxta ſedet Agricultura cum ſpicis, circa thalamum eius, cythara & muſarum inſtrumenta.

Alciatus per Galeam quæ loco Aluearis ſit.

Arma procul iaceant, fas ſit tunc ſumere bellum,
Quando aliter Pacis non potes arte frui.

Secundum eſt, Nunqam bellum ſine iuſtis & neceſſarijs cauſis ſuſcipiendum.

Ita fecit Aug. Cæſar, qui affirmabat iactantis eſſe ingenij ob triumphalis pompæ ſuperbiam & lauream *Cuſpinian* corollam ciuium vitas ac ſecuritatem periclitari.

Qua virtute modeſtiæ effecit, vt Parthi illi creandi Regis arbitrium permitterent, ſigna erepta Craſſo & Antonio repeterent, Indi Schytæ. Galamantes, Æthiopes, fœdus per legatos cum donis percuterent.

Ita fecit etiam Carolus Quintus qui nunquam ob ſpem lucri attendit. Vnde dicebat, quod ſi ſuperauiſſet regnum Galliæ, redderet Regi totum modo, quod ſuum eſt, exiguum tamen,haberet. Profecto enim ſine iuſta cauſa bellum non tam bellum quam latrocinium appellandum, hinc Lucanus & Seneca Lib. 1. de benef.

Alexandrum M. Orbis terrarum prædonem vocant idque probrum ei obiecit Demetrius Pyrata, nihil inquiebat præter Pyraticam didici, & à parente tantum duos myoparones accepi. Tu à patre Regnum Macedoniæ Florentiſſimum accepiſti, & terra marique cum potentiſſimo exercitu impunè latrocinaris. Quæ oratio non mouit Alex. ad vltionem ſed commiſerationem, illum enim legioni præfecit.

Auguſtus etiam Cæſar, cum Alexandri res in oriente geſtas legeret, admiratus fuit Alexandrum non magis cogitaſſe, qua ratione parta regna conſeruaret & adminiſtraret, quam qua via partis alia adijceret. Poëta, *Non minor eſt virtus, quam quærere parta tueri.* Claud. *Repertum plus eſt ſeruaſſe*

Quam quæſiſſe nouum.

Sfortia magnus dicere ſolebat nihil commodius ac vtilius videri, quam tribus propoſitis hoſtibus cum primo pacem paciſci, & cum altero inducias parare, vt in tertium maximè expedita & grauiora arma vertantur. Idque ſuo exemplo oſtendit multos inimicos connubijs & affinitate ſibi conciliauit, quorum auxilio reliquos opprimeret.

Idem dixerat Rodolphus I. Auſtriacus, qui cum litem haberet cum Abbate Sangallenſi, venit ad eum & vltioneum ſe conuiuam exhibuit. Sublatis menſis collocutus cum Abbate pacem fecit & tum ad ſuos, cui

cui tres ſunt lites meo iudicio recte fecerit, ſi duabus compoſitis tertiam tantodiligentius proſequatur.

In puteum deijci facilè eſt, educi non item ita &c. Non in eiuſdem parte eſt initium belli & finis incipere cuiuis ignauo licet, deponere cum victores volunt. Saluſt. in Zag.

Hinc Solon iniqua PaxBello etiam iuſtiſſimo præferenda eſt.

Auguſtinus. Cogita tecum pugnam neceſſitatis eſſe, quare animo ſemper feraris ad pacem, bellum gere, quod aliter non poſſis, ſed ſi pax coire poſſit, ne illam negligas.

Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otij ſuſtentant.

Martianus Cæſar, donec in pace viuere liceat, non decere Principem arma ſumere.

Qui aliter faciunt imitantur muſcas quæ non poſſunt niſi in locis ſcabris conſiſtere, & polita ſpecula oderunt.

Omnia prius experiri conſilio, quam armis ſapientem decet.

Bald. in C. olim dicit initio vtendum eſſe verbis 1. amica tractatione 2. Herbis id eſt omnia iuris remedia adhibenda 3. lapidibus id eſt armis.

Tertium non turbandam pacem ad Regnum amplificandum.

Hippolitus à collibus, duo ſe media propagandi reperiſſe ſcribit, noſtra augendo & aliena attrahendo. Verum aliter ſentiendum.

Phraates Rex Parthorum petebat à Pompeio, vt Euphrates terminus eſſet Romani Imperij. Imò inquit Pompeius Romanorum fines à Parthorum Imperio Iuſtitia dirimat.

Qui inhiant alienis amittunt propria.

Cameli cum per Oratorem poſtulaſſent à Ioue cornua ille offenſus ſtulta poſtulatione etiam ijs aures reſecuit. Hinc Adagium Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit.

Sic Canis Æſopicus, qui carnis, quam ore tenebat, cum vmbram in aqua videret, & capere vellet, ſuam amiſit.

Cyrus bellum inferens Schytis miſere perijt.

Hannibal ad Scipionem. Optimum fuerat eam parentibus noſtris mentem datam eſſe, vt vos Italia, nos Africa contenti eſſemus.

Quidam Rex Tartarorum, captum Moſcum Ducem Rutenorum bellum non neceſſarium mouentem interfecit, & ex caluaria eius poculum cum hac inſcriptione, *Hic appetendo aliena, amiſit propria.*

SYM-

SYMBOLVM

M. DIDII IVLIANI.

In pretio pretium.

M. Didivs Ivlianvs, cum eſſet homo pecunioſiſſimus primus à militibus Imperium Romanum mercatus fuiſſe traditur. Licitabat contra eum Sulpitianus intra caſtra, ſed cum promitteret Iulianus ſe omnia daturum, quæ vellent, imperium accepit.

Hinc hæc eius Symbola *In pretio pretium*, *Omnia pecuniæ obedire*.

In pretio pretium: Id eſt, qui in numerato pretium habet, ſeu pecuniam, in honore ſeu pretio eſt; qui non habet, non æſtimatur.

Flaccus *Virtus, fama, Decus, diuina humanaque pulchris*
Diuitÿs parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, bonus, & Rex
Et quicquid volet.

Ariſtophanes. *Si quid eximium eſt, aut ſplendidum*
Si quid venuſtum hominibus, abs te vna venit
Pecunia, nam pecuniæ omnia obediunt.

Pecuniæ omnia obediunt. Olim adagium omnibus in ore, hodie omnibus in vſu. Etiam in Prouerbijs Hebræorum Eccleſiaſt. x.

Pecuniæ vir χρήματα ἀνὴρ
id eſt, *Tanti quiſque ſit, quantum poßidet.*

Timotheus pecunias ſanguinem animamque mortalibus eſſe dicebat, quibus qui careat mortuus inter viuos viuat.

I. Cæſar potentiam duabus rebus acquiri, conſeruari, augeri, pecunia & militibus.

Et hinc belli neruus dicitur pecunia, imo etiã Reip.

Et Paulus Æmilius nullum acrius, quam rei nummariæ telum, poteſt reperiri.

Omnia pecunia effici poſſunt. Cic. in Verrem.

Horat. — *Vxorem cum dote, fidemque & amicos,*
Et genus & formam Regina pecunia donat.

Apud Euripidem.

Sine me vocari peßimum, vt diues vocer
Nemo an bonus; an diues? omnes quærimus
Non quare & vnde; quid habeas tantum rogant,
Vbique tanti quiſque quantum habuit, fuit
Quid habere nobis turpe ſit quæris? nihil.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori,
Bene moritur, quiſquis moritur, dum lucrum facit
Pecunia ingens generis humani bonum eſt.

Sophocles. *Pecuniæ hominibus amicos conciliant.*

Horat. *O ciues ciues quærenda pecunia primum*
Virtus poſt nummos.

Pulchri verò ex Antilogia hi verſus.

Diuer-

Diuerſas hominum videam cum ſparſa per artes
Ingenia, eſt cunctis ars tamen vna viris.
Omnibus idem animus, gratis ſibi quærere nummos
Omnis inexhauſtas vndique quærit opes,
Nullus adeſt Priſcæ virtutis cognitor, illa
Religio ſuperos vix putat eſſe Deos.
Nimirum ingenti congeſta, pecunia cura
Eſt Deus, humanas nunc regit ipſa vices.

Ideò bene dixit Diogenes, *ideo aurum pallere, quod multi ipſi inſidientur.*

Philippus Macedo. Nullum locum adeò munitum eſſe, quin capi poſſit, modo aſinus auro onuſtus poſſit in eum aſcendere. Idem dicebat plura ſe dando, quam bellando perfeciſſe. Et hinc dicebatur, non Philippum, ſed Philippi aurum Græciam ſubegiſſe. Reſponderat oraculum vt argenteis haſtis pugnaret

Quod vero hic maxime improbandum
Omnia pretio venalia eſſe,
Aurum quiſquis habet ſuperos mercatur & aſtra, Balbus Poëta.
Captiuoſque tenet ſub ditione Deos. Palladas.

Aurum Pater Adulatorum, doloris & curæ fili & habere te timor, & te non habere dolor eſt.

Porrò illa venditio emptioque Magiſtratuum & officiorum eſt perniciosiſſimum Reip. malum.

Fœda illa honorum nundinatio interitum attulit libertati Populi Romani.

Plutarchus in Cæſare tantam fuiſſe ait Publicorum morum labem, vt candidati palam in Comitijs nummarias menſas ponerent, & populi ſuffragia redimerent.

Hinc rapti faſces pretio, ſectorque fauoris
Ipſe ſui populus, letaliſque ambitus vrbi
Annua venali referens certamina campo.

Caſaubonus ad Suet. in Cæſare Cap. XIX.

Ouidius de ſuo tempore in faſtis.

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores
Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.

Et Lib. 2. de Arte.

Aurea nunc vere ſunt ſæcula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Plut. I. Cæſar effuſis ſumptibus corrupit populum; ita vt nouos honores pro illo quærèrent.

Æl. Lamprid. Ant. Heliogabalus vendidit omnes honores nulla habita ratione generis, ætatis, cenſus: tantum pecuniæ merito.

Zoſimus. Philippus pecunia in milites diſtributa Imperium obtinuit.

Ariſtot. in Pol. Idem plurimi alij fecerunt.

ApudCarthaginenſes licitum erat emere Magiſtratus.

Romæ in honorum petitione adhibiti amici, ſectatores, ſuffragatores, congiaria, prandia, ſpectacula, pecuniæ diuidendæ &c. Sigonius,

Aliqui

Aliqui vrgent hoc vtile Reip. eſſe: Et quod qui ſine facultatibus ſunt rectè fungi Magiſtratu & otiari non poſſint.

In Francia venditiones ſunt officiorum; incommoda inde narrat *Anonymus Hiſtoricus*, excuſare tamen conatur Iaſacius Pontanus in itinere Narbonenſi. *De l'eſtat de france ſub Frãc. 2.*

At vero Magiſtratus non eſt priuatum, ſed publicum Ciuitatis bonum, virtuti debitum.

Vendere Magiſtratus eſt Remp. haſtæ ſubijcere, eſt nutrire Ambitionem.

Eſt paupertatem ab omni dignitate excludere.

Eſt corrumpere pecuniâ iuſtitiæ tribunal.

Nulla dignitas iuſtè pecunia poteſt acquiri quæ virtuti debetur.

Itaque non audiendi illi, qui illud Politicum eſſe volunt, modo ſubſit lucrum: Et conniuere oportere, quia dies mali ſunt & corrupti ciues.

Alex. Seuerus Imp. non ambientes, ſed inuitos & reluctãtes publicis officijs præficere ſolebat, aiebat enim nihil eſſe mirum, ſi qui munus aliquod emerint, idem rurſus vendant, & venalẽ iuſtitiam habeãt, iuxta illud,

Emerat ille prius, vendere iure poteſt.

Nec ſine rubore poſſe puniri eum, qui quod emit vendat Ælian. Spartian.

Alexius Angelus Imp. Orientis primo die ſui imperij proclamari iuſſit Magiſtratus ſe non venditurum

ſed delectu ex optimis habito gratuito mandaturum. Nicetas.

Æneas Syluius dicebat dignitatibus homines dandos eſſe, non hominibus dignitates.

Nero initio Imperij promiſit Senatui nihil venale futurum in ſuis Penatibus. Tacitus Lib. 3.

Iuſtinianus Magiſtratuum venalitatem ſummopere cauendam non vno in loco monet, eamque omnis nequitiæ Principium appellat, quod ex ea oriatur tanquam ex Sentina omne genus morborum, quibus Reſp. vel ad interitum vel ad mutationem perducitur. Nouel. 8.

Oratione de Corona Demoſthenes ſcribit Ciuitates tum ægrotaſſe cum Magiſtratus intenti eſſent muneribus.

Vopiſcus autem declinantis Imperij omen adſcribit eidem rei, dum ſub Aureliano cœperunt eſſe venalia officia, neque dabantur hominibus ſed diuitijs.

Imp. Leo. De Epiſcopis quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. L. ſi quenquam, C. de Epiſ.

Martianus electus Imp. reformationis nitum fecit decernendo nemini pecunia Magiſtratum eſſe conferendum To. 2. Bibl. 5.

Id ipſum fecit Anaſtaſius Imp.

Alex. Seuerus Vetionum Thurinam, quod ſuum ſuffragium vendidiſſet ad palum alligatum ſuppoſito igni

igni ex humida materia præcone clamante.

Fumo perit, qui fumos vendidit.

Tempore Iuſtiniani inualuerat, vt Aulici admiſſionales à petentibus honores aliquid acciperent, (quod ſuffragium vocat Iuſtinianus) ipſe ſuſtulit omne genus ſuffragiorum, quia per eas ſordes iuſtitia euertitur.

Franciſcus II. Galliæ Rex ſtatim primis Regni initijs legem tulit (ſuaſore Oliuario) vt Iudices in ſupremis Curijs & inferioribus ſubſellijs tres nominarent probitate & Iuris Scientia conſpicuos ex quibus quem vellet Rex eligeret. Thuanus. *Lib. 17. Hiſt.*

D. Ludouicus inter præcepta filio Philippo data monuit vt optime meritos ad Sacerdotia per ſeipſum promoueret. Alias eam Iuſtitiam diſtributiuam interturbari, quando indignis conferuntur.

Quæ cauſa fuit excidij Hieroſolymitani vna, vt ait Egeſippus, quod Pontificatus maximus & Sacerdotia ad ineptos & indoctos deferrentur. Vnde etiam male conſtitutæ Reip. ſignum eſt Magiſtratus eſſe venales Plato.

Theod. & Valent. conceperunt iuramentum pro Magiſtratibus, iurarent nihil ſe dediſſe nec daturos, nec promiſiſſe pro ſortiendis adminiſtrationibus, nec quicquam in adminiſtratione præter ſalaria accepturos.

Honores turpiſſimo quæſtui exponi non debent, Meretrices enim ſunt dignitates, quæ ſe lucro ſubſternunt, ignominioſi honores, qui augmentantur pretio Nam Magiſtratus creantur non vt onerent, ſed honorent Ciuitatem.



SYM-

SYMBOLVM

FL. CONSTANTINI VI.

Mulieri Imperare, res deſperata.

IMperatoris huius Symbolum his verbis attribuitur Senecæ *Fœminæ Naturam regere, Deſperare eſt omnium.*

Eius ſenſus eſt Rem eſſe quodammodo deſperatam aut certè quam difficillimam mulieris ingenium regere vt ait Seneca. Quod natura non concedat illi imperare.

Ratio peti ex natura fœminę poteſt. Nam ſecundum Euripidē, *Inter res omnes maxime inexpugnabilis eſt mulier.*

Secundum Ariſtophanem. *Nulla fera minus expugnabilis eſt, quam mulier, neque ignis ipſe, neque vlla pardalis tam impudens.*

Secundum Menandrum,

Tot cum mari, terráque paſſim ſint feræ
Fera omnium ipſa maxima extat fœmina.

Euripides iterum. *Malum efferatum maxime, vna eſt fœmina* In Phœnice.

Menander. *Mulierem appellat, domus tempeſtatem, Aſpidis venenum.*

Paſſim dicitur Theſaurus Malorum; à Seneca Dux malorum.

Ille vero de Muliere ita in Octauia.

Mulier, dedit Natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus inſtruxit dolis.
Sed vim negauit, vt ne inexpugnabilis
Eſſet, ſed ægras frangeret vires timor.

Fabuloſæ ſunt quorundam populorum de mulierum ortu opiniones, ſatis tamen ad hanc rem.

Ægyptij dicebant inter beſtias alias natam eſſe vnam mulierem ex terræ glebis per Nili inundationem madefactis. Et quia ſine matre ſunt natæ, ideo carent iudicio & ratione, viuunt ſine regula, & ſine ordine moriuntur.

Arabes, dicunt mulierem natam in deſertis Arabiæ ex putredine lignorum per calorem ſolis; lignorum inquam, quæ vermes exedebant. Ideò fœminas lingua ardentes eſſe, cæteris conditionibus putridas.

Agebat gratias quod homo eſſet non brutum, vir non fœmina Græcus nō barbarus.

Plato, dicendum, inquit, eſſet Naturam in fœminæ conformatione aberrauiſſe, niſi ad ſocietatem coniugalem attendiſſet, & viri delectationem, & generis humani propagationem.

Dubitat idem, an illam collocare in beſtiarum, an in virorum ordine debeat; quod quidem animam rationis habeat capacem, ſed appetitui & ſenſui tantum tribuat, vt an rationem habeat, dubium ſit.

Et vero etiam præter hanc naturam, fœmina tota ad fraudes & dolos compoſita eſſe videtur.

Propertius — *Verba & componere fraudes,*

Hoc

Hoc vnum didicit fœmina ſemper opus.

Publius Mimus. *Malo in conſilio fœminæ vincunt viros.* Nam vt ait Satyricus,

Iram atque animos à crimine ſumunt.

Democritus, *Mulier multo quam vir promptior eſt ad malignitatem & fallaciam.*

Rationem datCicero Quia viros ad vnumquodque maleficium ſingulæ impellunt cupiditates; mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit.

Et ſecundum Valerium Maximum. Quia audax eſt ad omnia quæcunque amat vel odit fœmina, quæ artificioſa eſt nocere cum vult. Vnde Satyricus.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos,

Philemon mulieré appellat *perpetuũ & neceſſariũ malum.*

Hactenus dicta, de muliere mala ſunt, quæ ſecundũ D. Chriſoſtomum, eſt malum intolerabile, Vipera immedicabilis, venenum inſanabile, amicitiæ inimica, ineuitabilis pœna, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura ſed boni colore depicta.

Et D. Auguſtinus *Crede mihi ſi totum cœlum eſſet Papyrus, & totum mare atramentum, & omnes ſtellæ pennæ, & omnes Angeli ſcribentes, non poſſent deſcribere aſtutiam mulierum.*

Sed hæc inquam de mulieribus malis ſint dicta.

Scio

Scio dari bonas aliquas. Et rectè Menander.

Virtutis eſt penu generoſa fœmina.

Et ſecundum Hippothoontem.

Poſſeſſio bona viro eſt vxor beneuola.

Qualeſcunque tamen ſint, neceſſariæ ſunt. Hinc Q. Metellus Numidicus ad Ciues Romanos. *Si poſſemus ſine vxoribus Quirites eſſe*, omnes moleſtia careremus, ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis, vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quam breui voluptati conſulendum.

Et vt dicit Suſarion,

Mala & moleſta res vt vt ſit fœmina,
At hoc demum ſine malo alere non licet.

Et idem. *Malum eſt vxorem ducere, & non ducere.*

Enimverò quantumuis imperioſum ſit animal fœmina nec facilè ſibi patiatur imperare, verum omnibus imperare velit, aliquis tamen eius regendæ modus eſt inueniendus, ne omnino res ſit deſperata.

Cleobulus vnus è ſeptem ſapientibus, duo hac in re præcepta tradidit. 1. *Vt cum vxore nihil blanditijs maritus agat.* 2. *Vt coram extraneis nunquam illam obiurget.* Illud dicebat eſſe vecordiæ, hoc veſaniæ.

Ratione igitur cum vxore agendũ, vt intelligat omnia pro communi vtilitate familiæ agi, & pro dignitate honoreque matrimonij.

Secreta matrimonij intra cubiculi parietes deliteſcant.

Omnia

Omnia intra Domeſticos parietes vxori credantur, maritus induſtriam foris oſtendat.

Non præbeat Maritus vxori vllam cauſam turpitudinis vel flagitij, cuius in conſpectu ne quidem loqui turpiter debet.

Cato. *Vitium vxoris aut tollendum, aut ferendum eſt; qui tollit vitium vxorem commodiorem præſtat; qui vero fert, ſeſe meliorem facit.*

Itaque vitia emendanda in vxore à marito, ſi non poſſint ferenda, qua patientia fiunt meliores. Nunquam tamen turpitudines & flagitia ferenda; ſed conſulendum eſt honori domus, & in bonos mores redigenda. Nunquam ferro, ſed lege agendum. Valeat ergo lex illa Solonis, *Si vir vxorem, in adulterio deprehenderit, occidito, at ſi ea virum, ne digito eum attingito.*

Georgius Leontinus, *domi aſſeruandas voluit.* Certe raro ſaltem exeant. Nam fœmina ambulatrix raro pudica eſt.

Græci fœminas ad conuiuia non ducebant: & tantum in interiore ædium parte ſedere permittebant, vbi tantum affines.

Maritus ita agat cum Vxore, vt vxoriam illi dignitatem ſeruet integram, & ipſa intelligat aliud eſſe meretrici, aliud vxori congredi.

Exemplo viri regenda mulier. Etſi enim legibus

non exemplis viuitur, tamen exempla multò plus mouent, quam leges. *Nam voluntas humana allecta libenter, coacta vero inuite ſuum officium facit.* Acuta eſt mulier, & valde oculata, nitat, obſeruat, & occultiſſima ſequitur veſtigia. Si ergo ille domi & foris rectè viuat, virum ipſa legem ſuæ vitæ & normam virtutis ſequitur, aut certè monſtrum eſt, qualis Xantippe. *Lilijs & Roſis caſtitatis virilis ad caſtam fidem fœminæ trahuntur.* Quippè non verba, non munera, non res vllæ pretioſæ tam mouent fœminam ad vitam honeſtam, quam vita honeſti & continentis viri.

In erratis leuioribus conniuendum eſt vxori; ſi v.g. loquacior ſit, iracundior, ornatior & comptior, quam deberet, vel profuſior. Tunc prudenter & molliter tractanda, nedum roſam tangis teipſum ſpinis pungas & lædas. Quippè ſi fulmina & lapides loquaris, ardebit furor, refrigeſcet amor, nulla omnino concordia erit.

Conniuere hic eſt quaſi diſſimulando videre, & videndo ſæpius ignoſcere, quam vrgere.

Vt vero melius regatur, cum aliquis ornatus ſit permittendus mulierum cupiditati & ſuperbiæ, tum videndum ne cum aliquo exceſſu ornatiores ſint.

Corpore ornatiores, mente deteriores fiunt.

Et cum duæ ſint rarum virtutes caſtitas & modeſtia tum harũ virtutũ ecclipſis eſt, vbi ornatus exceſſus eſt.

Raro, inquit Caſus,glorioſi iſti Cometæ, tametſi

ad

ad tempus ſplendent, radios aut lumen virtutis poſt ſe relinquunt, ſed ex hauſta materia ſubito extinguntur.

An vero ſeueritate vxorem ad officium cogere liceat? M. Aurelij Conſilium. Vxor admonenda eſt ſæpè, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nunquam.

Philoſophus. Ratione non authoritate, ſuaſu non impulſu, leuitate non ſeueritate, vxor vt ſocia, non vt ſerua trahenda eſt.

Vxor eſt pars tui, ſocia vitæ, conſilij compos, dextra ſolatij &c. Vide ne male tractando illam te confodias. Clytemneſtra ob iniuriam ſibi illatam à viro, commiſit adulterium, & conſpirauit in mortem mariti.

Non audiantur igitur illi, qui volunt, vt mancipium tractandam eſſe, & vt Calderus, datam illi longam comam, vt eam ligare & trahere mariti poſſent.

Petillius ita ſuggerit. Non minor cura ſedulitaſq; ad regendam vxorem, quam Remp. eædem ad vtramque regulæ requiruntur.

In Rep. regimen eſt regale & Politicum; in familia paternum & coniugale. In regali Rex ſuo arbitratu ad commune bonum regit, in politico communibus ciuium legibus res agitur. In paterno pater ſuo arbitrio nulliſque legibus filijs præeſt; in coniugali res agitur

 commu-

communibus coniugij conditionibus & legibus pactiſque.

Commode itaque vxorem reget maritus, ſi nec omne ius ſe in eam habere, ſicut in filios, oſtenderit, nec illam omnino ſui iuris eſſe reliquerit, ſed medio quodam modo ligatam tenuerit, & cum modo corripere eam ſtatuerit, tanquam quæ maritò dignitatis nomine, vxoris ſcilicet ſit coniuncta, cuius proinde ſit reuerenda ſocietas.

Moribus puerorum ſimiles ſunt fœminæ, in aliquibus commendandæ, in alijs reprehendendæ. Commendandæ quia verecundæ ſunt ex ambitione laudis & timiditate; item miſericordes ex mollitie & miſeria cordis innata. Reprehendendæ quia intemperantes ob defectum perfectæ rationis; Garrulæ & inconſtantes ob imperfectam complexionem.

Redigenda vxor ad temperantiam, ad taciturnitatem, ad conſtantiam. Tum moderate vtendum ea, ne laxiori vſui aſſueta, & ſolito aliquando fraudata aliunde expetat. Honorificè tractanda pro ratione facultatum, ornatum etiam ipſi comparando, ne illa ſibi ſuo libitu & induſtria curet.

Debitè conuerſando, cum ea nimirum agendo pro illius moribus.

Si humilis ſit, foueatur; ſi prudens blandè agatur, ſi ſtolida acriter increpetur.

Si erga ſuperbam ſis humilis, ad dominatum ſeſe efferet, ſi humilem conculcaueris, ad nullius vſum rediges; ſi prudentem acriter reprehendas, deſperationem feres; ſi ſtolidam blandè regas, irrideberis.

Prudenter amanda eſt, nam nimius amor etiam hic turpis eſt, & vt inquit Xiſtus Pythagoricus

Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior.

Quod attinet ad ornatum, non permittendus ille fictitius, qui fucis, odoribus, coloribus vultum vitiat; nam eſt impudicitiæ argumentum & irritamentum, *Nam quæ alia videri vult quam ſit, aliud quoque facturam ſe oſtendit, quam deceat.*

Plautus Muſtel. *Mulier rectè olet, quæ nihil olet.* Congruè ornata cuſtodiri debet, ſine tamen Zelotipia; nam quod ſibi impeditum videt, ardentius cupit & iurgijs domus repletur.

Cauendum à conſilio vxoris, quia inualidum & ſine ratione plerumque. Aliquando tamen repente conſule, vt repentè reſpondeat; *Nam quo plus fœmina deliberat eo hallucinatur amplius.*

Arcana ne leuia pandito quidem: aut certè non rem totam, ac tantum partem.

Superbit quod tanti fiat, vt ei arcana committantur; & hinc quærit, quomodo dominetur.

SYMBOLVM

P. SEPTIMII GETÆ.

Nulla fides Regni.

HOc Symbolum deſumptum eſt, ex illo Lucani.

Nulla fides regni ſocijs, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Cui affine illud Ouidij.

Non bene cum ſocijs regna, Venuſque manent.

Et Senecæ in Agam.

Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.

Vnde Curtius regnum vocat Inſociabile.

Exemplo docuit M. Antoninus Caracalla, qui ſocium Imperij Septimium Getam cum veneno non poſſet, clam ferro trucidauit, fratrem tamen ſuum.

Quare ſenſus hic primus eſſe videtur, ſeruare inter ſe, ac ſibi inuicem fidem non poſſe Reges, aut certè non ſolere. Alius eſſe poteſt, nullam eſſe Regum fidem; ſeu Reges non ſeruare fidem.

An igitur Reges datam ſemel fidem ſeruare debeant.

Peruerſi quidam Politici & Machiauelliſtæ negant. Quod nec Ciuilis adminiſtratio firma eſſe, nec amplitudo eius aliter conſtare poſſit, niſi in loco & tempore fraudes miſceantur, niſi fidem quandoque Principes violent.

Nihil eſt, inquiunt, glorioſum niſi tutum, tutum vero nihil niſi fraudium ſcuto contegatur cumque fraudibus & dolis Principatus ſæpe euertantur, ijſdem artibus poſſunt retineri. Senec. in Agam.

Non intrat vnquam regium limen fides.

Volunt quoque non reprehendendum ſemper Principem, ſi non vbique per Iuſtitiæ & honeſtatis callem, ſed per obliquæ fraudis quandoque tramitem ambulet. Nam vt Sen. in Thyeſt.

Vbicunque tantum honeſta dominanti licet,
Precario regnatur.

Et hoc præſertim tempore, quo, vt Liuius Lib. 2. periculoſum eſt in tot humanis erroribus ſola innocentia viuere. Vndè Claudianus.

Hunc qui fœdera rumpit,
Ditatur; qui ſeruat eget.

Accedit quod publicus vſus ac ſalus ſæpè fraudes ſuadeat, vbi, decipere pro moribus temporum prudentia eſt, ait Plinius.

Et Plato Lib. 5. de Rep. diſertè dicere videtur crebro mendacio & fraude vti imperantes debere ad commodum ſubditorum.

Hinc Iaſon Rex Teſſalorum. Qui magnis in rebus Iuſtitiæ cultor eſſe vult, is ius aliquando in paruis violare debet.

Democritus Phil. Fieri non poſſe ait, quin optimi

Princi-

Principes, vt nunc rerũ ſtatus eſt, inique aliquid agant.

Vlyſſes apud Homerum multis dolis eſt vſus etiam Palladis auxilio, & perfectæ tamẽ ſapientię effigies eſt.

Accedunt Plato & Xenophon, qui licere Magiſtratibus cenſent, dum ſubeſt publica vtilitas & neceſſitas populum mendacijs & fraudibus circumvenire vt fecit aliquando Pericles.

De Parthis Iuſtinus Fides dictis promiſſiſque nulla, niſi quatenus expedit.

Darius *Cum expedit dici mendacium, dicatur.*

Euphemius. *Nihil iniuſtum quod fructuoſum.*

Lyſander. *Pueros teſſeris, viros iuramentis circumueniendos*

Mahumetes II. Tur. Imp. *Præſtare fidem Mercatorũ eſſe, non Principum; quod illi à fide, hi ab armis pendeant & viribus.*

Fredericus III. Rom. Imperij Elector dicitur dixiſſe. *Incertum inter confœderatos illos eſſe loco & conditione deteriore, qui fœdera ſeruarent; probanda quidem eſſe fœdera, ſed væ illi, qui ea ſeruaret.*

Hæc ex Machiauelli Schola.

Omnino ſeruandam eſſe, ac nunquam violandam fidem.

Verè dixit Ageſilaus Regiæ dignitati non aſtutiam, ſed bonitatis excellentiam conuenire. Quod cum ita ſit nunquam decere Principes poteſt, fidẽ datam violare.

Quid enim eſt aliud fallere fidem, quam omnem religionem euertere, naturæ & gentium iura violare, omnem è vitâ vitæ ſocietatem tollere. Quid aliud, in-

quam

quam, eſt, quam mentiri? At vero non decet Principem labium mentiens, vt ait ſapiens.

Et eſt improbi hominis mendacio fallere, quod ædificare mendacium ſine demolitione veritatis nemo queat, vt inquit, Lactantius.

Quid ſi fraudes ſint ad publicum bonum? Nequidem tunc licitæ ſunt. Deus omnem iniuſtitiam auerſatur, nec vtile quicquam eſt, quod iniuſtum eſt.

Thucydides. Fraus cum omnibus fœda eſt, tamen ijs, qui maiori dignitate præditi ſunt: imo fœdior, quam apta violentia.

Pythagoras. Duo ſunt hominibus data longe pulcherrima, veritatem amplecti, & alijs benefacere vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe.

Ferdinandus II. Aragoniæ Rex malle ſe mori dicebat, quam mendacio fœdari.

Iſocrates ita monebat Regem Nioclem. Perpetuo tantum ſtudium & reuerentiam præ te fer, vt tuis verbis maior ſit fides, quam aliorum iuramentis.

Fidei imaginem Romani in Capitolio prope Iouis Simulachrum conſtituerunt, vt religioſiſſimè ſeruandam eſſe docerent. De qua Sylius Italicus,

Ante Iouem generata, decus diuumque hominumque
Qua ſine non Tellus Pacem, non æquora norant,
Iuſtitiæ conſors, tacitumque in pectore Numen.

Magnum momentum in fide poſitum.

1. Ad auctoritatem & nominis exiſtimationē. Quia fidelem omnes amant & honorant.

2. Ad opes, quia Princeps cui fides habetur, etiam alienarum facultatum dominus eſt.

3. Ad ſubditos in obedientia & officio continendos quia maiori fide Principem colunt, & eius fidem imitantur.

4. Ad auctoritatem apud alios obtinendam, dum eius verbis fidunt; & ad conſcientiam rectam.

Nota Attilij reguli fides.

Cum Alexandro Parmenio ſuaderet aliquid, quod à fide erat alienum. Facerem, inquit, ſi eſſem Parmenio; non faciam, quia ſum Alexander.

Auguſtus Cæſar cum promiſiſſet publica præconis voce decies ſeſtertium millia nummorum aureorum ei, qui ſibi ſiſteret Crocotam latrocinijs inſignem, venit ipſemet Crocota, pretium petijt. Dedit ille quod tanta fiducia ſe ad pedes abieciſſet.

Guido Flandriæ Comes captus à Philippo Pulchro Galliæ Rege, & dimiſſus data fide de reditu niſi Belgas ad fidem Regis reduceret, redijt cum non poſſet, & in carcere obijt.

Ioannes Rex Galliæ eodem modo redijt ad Eduardum Walliæ Principem filium Angliæ Regis, cum ea parare non poſſet, quæ ex pactione debebat, ibique etiam ex morbo obijt.

Petrus Anſurius Eques Caſtellanus cum præfectus eſſet quarundam Arcium ad Vracam Caſtellæ Reginam ſpectantium, & in verba Alphonſi Regis eius viri iuraſſet, vtrique ſe arces conſeruaturum, oborto poſtea inter Regem & Reginam diſſidio, arces Reginæ reddidit, quia eius erant, & quia iurauerat etiam Alphonſo, laqueo in collum iniecto venit ad eum & Proceres, rogans vt pœnas ſumerent violati non ſponte à ſe ſed neceſſitate iuramenti.

M. Guterius Præfectus arcis Aguilariæ nomine Didaci Lopetij cum illam ſeptem annis obſeſſam à copijs Alphonſi Regis Legionenſis propugnauiſſet, & iam mortuis Præſidiarijs militibus ipſe media fameq; conficeretur, arcis clauibus collo appenſis humique iacens integra fide mori cupiebat, ſed hoſtes arcem ingreſſi eum exanimem ferè & fame penè euectum reperientes adhibitis remedijs curarunt. Poſtquã ad ſe redijt, ingemuit, quod in defenſione præſidij ſe mori prohibuiſſent, vt datam fidem integre ſeruaſſe videretur.

Tria dominari Romanos fecerunt, vt ex Valerio notatur, Saluum Conſilium, ſecreta tacendo & dictis ſuis pertinaciter in hærendo, non frangendo fidem.

Carolus V. promiſſam Franciſco Sfortiæ fidem egregie ſeruauit. Cum enim hic Dux accepto ab Imperatore publicæ fidei diplomate Bononiam ad pacem cũ eo ineundam profectus eſſet, vbi primum ad conſpe-

ctum Cæſaris venit reddidit diploma, & addidit. *Nulli ſe rei magis fidere, quam fidei & benignitati Cæſaris.* Galeacius Capella Lib. 8.

Quippè, vt Guicciardinus nihil Principe aut Rep. indignius, quam fidem datam non ſeruare. Perfidia enim Regis totum eius regnum exoſum reddit, & vt vita ſemel amiſſa non reuertitur, ſic nec fides.

Illuſtre & notum exemplum eſt Franciſci I. Galliæ Regis. Cum Carolus V. citatis equis & cum paucis comitibus properaret in Belgium ad ſedandos tumultus Gandauenſes, ſolaque Regis fide nixus veniſſet Pariſios, humaniſſime illum recepit, & cum aliqui ſuaderent, vt ab inermi, quicquid vellet, extorqueret, habere eum auem caueæ incluſam, *abſit,* inquit, *à nobis tam fœda perfidiæ nota, etiamſi toto orbe fides exularet, tamen regibus tenenda eſt, quæ ſola adſtringi poſſunt.* Alios metus & pœna coërcet, Principes pudor & fides.

Ideò Iſocrates ad Nicoclem. Quæ dicis aut recipis te facturum, tanquam rem ſacram obſerua.

Idem dixit Carolus V. cum ſuaderetur, vt in Lutherum cui fidem publicam dederat, animaduerti iuberet, *etiamſi,* ait, *toto orbe fides exularet, tamen apud Imperatorem immaculata manebit.*

Cum Sigiſmundus Imp. militi promiſſa exigenti dixiſſet, immoderata fuit, tua petitio, miles, poteras negare

negare cum peterem, nunc ſine perfidia reſcindere promiſſum non potes. Tum Imp. Si ex duobus alterum faciendum eſt, rerum potius, quam famæ iacturam ſubibo.

Hinc tardè promittendum eſt, & maturè præſtandum.

Iouius Pontanus ad Alphonſum Regem, quæ promittas & cui promittas videto.

Quod ſi iniqua & turpia ſint promiſſa præſtanda non ſunt; neque enim turpium & iniuſtarum pactionum ſponſor eſt Deus. Vnde Iſidorus.

In malis promiſſis reſcinde fidem. In turpi voto muta decretum, quod incaute vouiſti, ne facias.

Turpis autem eſt promiſſio, quæ ſcelere impletur.

Hinc Ageſilaus Rex Laced. cum improbe vrgeretur à quodam, vt promiſſum præſtaret, quod turpe eſſet negare. *Rectè*, inquit, *ſi iuſtum eſt quod petis faciam; ſin minus nequaquam faciam; non enim promiſi, ſed dixi.* Plutarchus.

Si hoſtis fidem fallat, fallere ei licet. Nam

Fallere fallentem fraudemque repellere fraude,
Exemploque licet ludere quemque ſuo.

Nimirum in ijs, quæ vna & eadem ſponſione comprehenſa ſunt. Alioquin ſemper turpè eſt perfidiam perfidia vlciſci.

Pœnas ſemper dederunt, qui fidem violauerant.

Ludouicus Burgundiæ Rex cum à Beringario 2. captus & dimiſſus eſſet data fide, quod cum exercitu in Italiam non rediret, poſtquam violauit fidem Imperator victo erui oculos curauit, vt lumine priuaretur, qui ſe fide priuauiſſet.

Henricus III. Galliæ Rex, qui contra fidem Guiſium interemit, necatus à Clemente Monacho.

Carolus Borbonius cum violaſſet fidem Mediolanenſibus, in muris Romanis globo traiectus interijt.

Vladiſlaus Rex Hungariæ & Poloniæ cum proſpere contra Turcas ad Henium montem pugnauiſſet, victor non iniquam pacem obtinuit. Ea cum videretur Pontifici, & quibuſdam Chriſtianis Principibus intempeſtiua, inutilis, indecora, hortantur Regem vt bellum reſumat. Sed cum eum retardaret pudor ingenitus aduerſus imminentem violandę pacis infamiam, quod fidem dediſſet, Legatus Pontificis perſuadebat ei auctoritate Pontificia facilè hac in re diſpenſatum iri. Tandem Rex promoto exercitu ad Vornam Pontici littoris vrbem, cumque eo Amurathes Imp. Turcarum cum paruis copijs accurriſſet, pugnatum eſt & Vladiſlaus cum triginta millibus victus eſt. Nam in eo prælio ſuffraginibus ęqui ſuccisis corruit & trucidatus eſt, caput eius lanceæ præfixũ, & circumlatũ. Ipſe Legatus Pontificius, interfectus magnâ cum contumelia.

Refert Leunclauius datam fuiſſe Amurathi in pignus ſeruan-

ſeruandæ pacis hoſtiam conſecratam, quam in eo prę-lio ipſe è ſinu ſuo proferens cum videret ſuos fugientes dixerit, *Chriſte ſi tu es Deus ſicut tui de te perhibent Chriſtiani, vindica eorum perfidiam, qui te mihi pignori dederunt, & nunc contra Gentium iura fidem violant.* Multos id ait ſcribere, etiam Chriſtianos. Philippum Callimachum autem dicere, id ita ſecreto factum eſſe, vt vulgò non ſciretur.

Bonfinius de rebus Hung. Decad. 3. dicit eum è ſinu ſuo deprompſiſſe Codicem initi fœderis, & oculis in cœlum intentis *Hæc ſunt Chriſte fœdera, quæ tui Chriſtiani mecum percuſſerunt. Per tuum numen iurarunt, & nunc fidem tuo nomine datam violarunt, te Deum ſuum perfide abnegarunt, nunc ſi tu es Deus tuas & meas iniurias vlciſcere.*

Taſſilo Rex Boiorum cum coactus fuiſſet paciſci cum Carolo Magno, poſtea violatis pactis cum Hunnis renouauit bellum contra Carolum, ſed ſubditi illum deſeruerunt, & fidei violatæ accuſarunt; vnde regno priuatus & in monaſterium prope Herdelbergam detruſus.

Ab eodem Carolo Magno Deſiderius Rex Longobardorum regno priuatus & Leodium miſſus eſt, quod contra fidem datam Romam obſediſſet, quam ob cauſam Pontifex auxiliũ petierat à Carolo Magno.

Iuſtinianus Imperator Bizantinus rupto fœdere inuaſit Arabes; illi fœderis tabulas ex haſta ſuſpenderunt,

runt, & in vexilli ſpeciem ante aciem tulerunt. Victus magna clade Imperator, poſtea per ſeditionem à ſuis relegatus, & qui conſilium illi dederant publicè combuſti.

Ita Deus ſemper fidei Violatores ſeuere puniuit. Plinius Epiſtola ad Traianum ſcribit Chriſtianos ſolitos ante lucem conuenire, carmen Chriſto quaſi Deo dicere, ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, & ne fidem fallerent. Vbi fidem tanquam rem maximi momenti inter virtutes Chriſtianorum refert.

Ariſtoteles in Rhet. dicit Periurium, & diuinam vltionem & humanam infamiam incurrere.

Demoſth. Fieri non poteſt, vt iniuſtus, periurus & mendax patriam firmam retineat. Dat rationem. Valer. Max. Quia occultum & inſidioſum malum. Perfidia tantum incommodi humano generi adfert, quantum ſalutis bona fides præſtat.

Pœnas Deus in poſteros etiam conuertit. Euripides
Crimina ſæpe fiunt nati ſcelerata parentum.

Philippus Haſſiæ Landtgrauius dicebat auctoritatem Principis ſaluam eſſe ex tribus cognoſci poſſe. *Ex probatione monetæ, ſecuritate itinerum, fide promiſſi.*

Sæpè tamen eſt lubrica Principum fides. Hinc Beliſarius ſcribebat ad Theudibertum Regem Galliæ lu-

bricæ

bricæ fidei; turpe fidem fallere Principi, at iuſiurandum & pacta violare ne abiectiſſimo quidem homini decorum.

Et tamen ſunt, qui inſtillant Principibus, alijs quidem, qua honeſtum eſt, eundum; Principi tantum, qua expediat.

Carolus V. omnia ſua fide viri Nobilis affirmabat, hancque aſſertionem omni ſacramento firmiorem haberi volebat. Hiſtorici tamen aliqui imputant ei quod commodis ſuis poſtpoſuerit quandoque fidem. Sic eum finxiſſe, voluiſſe reſtituere Franco Mediolanum poſtea negauit. Et in Heſſo.

Arguunt etiam aliqui Alphonſum Aragoniæ Regē.

Aliqui cum fidem dederunt, per ſcelus & per dolum illam repræſentant.

Apud Polybium, Locrenſes Siculis iurant ſe amicitiam cum Siculis ſeruaturos & Siciliam pro communi regione ambobus Populis habituros, quamdiu terræ illi pedibus ſuis inſiſterent, & impoſita humeris capita geſtarent. Ipſi vero coniecerunt in calceamentorum ſolea terram, & in humeris capita aliorũ ſupoſuerant, ita vt nō apparerent. Mox digreſſi à iuramento terram calceis excuſſerunt, & capita aliorum deiecerunt, & per occaſionem Siculos nihil hoſtile metuentes ſua regione expulerunt.

Tanta tamen eſſe fides Regum debet, vt quod ſolo

nutu vel geſtu promiſiſſe videntur, præſtare debeant.

Hinc cum Matthias I. Hungariæ Rex bellum gereret aduerſus Georgium Bohemiæ Regem, & ad extrema compuliſſet, conuenit tandem inter eos, vt in colloquium de pace deſcenderent. Id factum, deinde receſſerunt, & filij Georgij iuſſu eius comitati ſunt Mathiam Holomatiam vſque. Legatus Pontificis ſuadebat vt bello finem imponeret detinendo filios illos, præcipuè Victorinum ſtrenuiſſimum, & in quo tota ſpes patris, fore vt Rex deditionem faceret. Id ſine infamia, quia huc vſque venerunt ſine vlla de reditu promiſſione. Tũ Matthias, huc vſque inquit, venerunt credentes ſermoni meo, toto itinere allocutus ſum eos varijs de rebus; quare honorifice eos dimittam. Nam idem eſt apud me, vultu, nutu ſigno, vel aliquo modo ſpem amicitiæ oſtendere. Qui enim ſcriptura dataque fide hoſtem illæſum dimittit is non fidem, ſed verecundiam extimeſcit quia oſtenſo ſcripto proditionis argueretur. Qui corde ſincero fidem colit ſine ſcriptura ſiue verbo ſiue nam colloquium interceſſerit, is eundem ſemper ſeipſum exhibet.

Sereniſſ. Princeps Albertus apud Oſtendam cum capere illam tertio poſt obſidionem menſe potuiſſet, noluit quia pactæ erant aliquot dierum induciæ.

SYM-

SYMBOLVM
M. OPELII, SEVERI MACRINI.
Ferendum ac Sperandum.

DIcere ſolebat Macrinus Imp. *Ferre ærumnas & caſus, omnes moderatè ſuſtinere, prudentis viri munus eſt & officium.* Inde formatum eius Symbolum *Ferendum ac Sperandum.* Sumptum eſt ex ſententia Euripidis οἰςέον κὴ ἐλπιςέον.

Ad cuius ſenſum dixit Cicero. *Speremus quod volumus, ſed quod acciderit feramus.* Orat. prò Sextio in Epiſt.

Idem. *Debemus optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt.* Vulgo ita

Optima ſperentur, metuantur peſsima, ſed quæ
Sors tulerit, forti pectore quiſque ferat.

Porrò vt ſuſcipiendæ circa hoc Symbolum diſſertationis materiam, aperiamus, & altius totum Symbolum explicemus, illud in confeſſo eſt, robur & conſtantiam incolarum Ciuitatis eſſe firmamentum.

Etiam qui volunt ſimulatas eſſe virtutes omnes alias, fortitudinem veram & genuinam requirunt. Hic ſimulatio nihil prodeſt, vbi vera pericula ſunt.

Diuitum filij, duo olim rectè addiſcere dicebantur *iaculandi & equitandi artem*. Cætera illis adulatio per blanditias tribuebat; ſi à ſcopo aberrarent, aut equo hærere neſcirent, ne ſibi quidem poterant adulari.

Admodum igitur Rebuſp. neceſſaria hæc virtus eſt fortitudo, & eſt quædam virtutum aliarum cuſtodia quia virtus ſine conſtantia vidua eſt. Hæc enim eſt anchora in hoc procelloſo vitæ mari. Vbi timor eſt, ibi non eſt ſapiens conſilium, ibi turpe fœdus; ibi delictũ.

Non vtiles Reip. illi, qui nullam aduerſitatem ferre poſſunt; & cum fortuna recedit, deſperant. Piſander pertimeſcebat, ne mortuus ſuam vmbram videret.

Antemon duos habebat ſeruulos, qui æreum ſcutum ſupra eius caput, tenebant, ne rei alicuius illapſu læderetur.

Cum vera igitur fortitudo & conſtantia in malis admodum neceſſaria ſit, tum eſt cum ſpe coniungenda. *Ferendum ac Sperandum.*

Eius ratio eſt, quod ea ſit rerum humanarum viciſſitudo, vt nunc aduerſæ ſunt, nunc ſecundæ: ideò cum illæ adſunt, ita ferendæ ſunt, vt tamen nõ deſperemus.

Hinc Seneca. *In ſecundis nemo confidat; in aduerſis nemo deficiat: alternæ ſunt vices rerum.*

In fabulis de Pandora eſt, quæ cum à Ioue miſſa eſſet cum morbis in pyxide, & diuertiſſet ad Epimetheum, curioſus hic pyxidem aperuit, vnde cum morbi

euola-

euolarent claudere voluit ſubito, & tantum ſpem, quæ in fundo fuerat, & iam vſque ad labia volarat, concluſit, inde fit, quod in omnibus malis ſpem retineant mortales.

Magna ars ferendi eſt.

Zaleucus fratri in malis querenti, *Non quereris, inquit, propter acerbitatem malorum, ſed quia mala ipſa ferre patique neſcis.*

Quanquam enim plurimis calamitatibus obiecta ſit vita humana, non tamen ij miſeri ſunt, qui in miſerias & aduerſitates incidunt, ſed qui ferre eas non poſſunt.

Quis eſt, qui non conqueratur?

Vt in Apologis eſt; cum in Comitijs Animantium Aſinus expoſtularet, quod careret cornibus, & ſimia caudę honore, talpa vtrumq; felicem dicebat, ſe autem infelicem, quod perpetua premeretur cæcitate. Nimirum nemo eſt tam felix, qui ſi patientia careat, non videatur ſibi deteriori quam par eſt conditione.

Sit ita tamen prematur aliquis aduerſis: quid remedij? *Ferendum eſt, & Sperandum.*

Nazianzeni ſententia eſt — *Multa tuliſſe.*

Magiſterium eſt fortiter ferendi.

Addo etiam, *Perſtandi diſciplina eſt, vacillauiſſe.* Prudentius.

Virtus nam vidua eſt, quam non patientia firmat.

Qui cætera conterit malleus, æs durat; quæ ligna corrumpit aqua, quercum firmat; ſole gelu liquitur, ſed ſal concreſcit.

Senec. *Multum ſibi adijcit virtus laceſsitque ferrum quo ſæpius canduit, durius eſt nec radices altas agit ſeges, niſi quam nix alba oppreſsit.*

Florus Lib. 4. c. 8. *Magnæ Indolis ſignũ eſt ſperare ſemper.*

Tacitus Lib. 2. Hiſt. *Fortes & ſtrenuos etiam contra fortunam inſiſtere ſpei, timidos & ignauos ad deſperationem formidine properare.*

Maximilianus II. Imp. Sicubi res aduerſæ animum eius ſollicitarent, conceptum à ſe Symbolum proferebat. *Dominus prouidebit.*

Thymoleon Corinthius Patriam ſuam à Tyranno Dionyſio opreſſam liberauit, Syracuſas & Siciliam in libertatem aſſeruit, paulò pòſt longè maximas fortunæ acerbitates eſt expertus, quas tamen ita conſtanti animo pertulit, vt numquam vultum mutarit aut frontem. Dictitabat, *Rerum humanarum nihil ſine diuino Numine agitur.*

Rectè proinde Seneca Epiſt. 108. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſsis, & Deum, quo auctore cuncta eueniunt, ſine murmure comitari.* Bene ille, quia euentuum felicitas in noſtra non eſt poteſtate, ſed ratio, conſilium prudentia. Deus eſt, qui rerum exitum ſua in poteſtate tenet.

M. An-

M. Antoninus Imp. Philoſophus tantæ tranquillitatis & fortitudinis fuit, vt numquam gaudio vel mœrore vultum mutarit.

Franciſcus I. Galliæ Rex, ſui ſemper humillimus fuit etiam cum apud Carolum V. captiuus in Hiſpania detineretur.

Carolus V. ſeu res lætas ſeu acerbas acciperet perpetuam quandam Cæſarei vultûs conſtantiam & ſerenitatem retinebat, nunquam colorem mutabat.

Nimirum oportet fortunam illam nouercantem rectis æquiſque oculis aſpicere, & imitari Lælium, qui vt Cicero teſtatur *Omnia ſua in ſe poſita eſſe dicebat, & humanos caſus ſua virtute inferiores.*

Illuſtre exemplũ Guicciardinus Lib. 2. proponit in Ferdinando Aragonio II. Neap. Rege. Res eius bello erant attritæ, & tantũ nõ deſperatæ: Carolus VIII. Franc. Rex illi honeſtiſſimas conditiones proponebat modo Regis nomen deponeret, & iuri ſuo renunciaret. Numquã voluit, tulit ipſe extrema & ſperauit; conuerſo tandẽ rerũ ſtatu regnum auitum ſumma cum gloria recuperauit.

Quippè, vt dicit Egeſippus, *Infirmi ingenij eſt lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cum exiguis momentis ſubito inclinentur omnia.*

Omnino, vt Plutarchus de cupiditate vitæ, *Virorum fortium eſt, animi ſtatum in periculis rectum & inmobilem conſeruare.*

Alexan-

Alexander Seuerus Imp. cum audiret Artaxerxem Perſarum Regem magno militum numero Romanum Imperium inuaſurum, *Fortes*, inquit, *viros & moderatos decet optima quidem ſperare, ſed ferre etiam quæcunque accidunt contra animi votum.*

Non læta è tollant animum, non triſtia frangant.

Veræ fortitudinis eſt, nec animo deijci in aduerſis, nec extolli in ſecundis.

Sigiſmundus Imp. rogatus, quos Imperio aptiſſimos iudicaret, *Eos*, ait, *qui nec ſecundis rebus inſoleſcunt, nec aduerſis franguntur.*

Multa documenta ex aduerſitatibus hauriuntur.

Antigonus cum è graui morbo conualuiſſet. Nihilo peius ait. *Nam hic morbus ſubmonuit nos, ne animo efferamur, cum ſimus mortales. Morbus corpus extenuauit, ſed animum reddidit modeſtiorem: corporis robori aliquid detraxit, ſed & animo inſolentiam detraxit.*

Themiſtocles iuſſus abire in exilium, ea iniuria non eſt commotus, ſed ferendo ſperauit. Cumque exceptus & donatus tribus ciuitatibus eſſet à Perſis ſcribebat ad ſuos in Patriam *Periſſemus amici niſi periſſemus.*

Crœſus apud Herodotum Lib. 1. *Mei caſus etſi ingrati mihi tamen extiterunt diſciplinæ.*

Cic. 4. ad Heren. *Difficile eſt virtutes eum revereri, qui ſecunda ſemper fortuna ſit vſus.*

Boetius 2. de Conſ. [illegible] *exercitatione nos*

effici

effici prudentes. Quæ nocent, docent.

Senec. de Prouid. C. 4. *Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices altius figit: fragiles ſunt quæ in aprica valle creuerunt.*

Multa tuliſſe Magiſterium eſt fortiter ferendi.

Idem Ep. 69. *Non eſt, quod exiſtimes vllam mentem aptiorem eſſe, quam quæ ſe multis experimentis longa ac frequenti rerum patientia domuit; quæ ad ſalutaria mitigatis affectibus venit.*

Romulus I. Rex Rom. *Infelicitatem hominibus maxime prodeſſe quod in rebus aduerſis doceamur de rebus antea nobis ignotis.* Bonum nauclerum non reddit ſecundus ventus.

Mithridates *Mihi fortuna multis rebus exceptis vſum dedit bene ſuadendi.*

Plinius in Paneg. *O quam vtile eſt ad vſum ſecundorum per aduerſa veniſſe?*

Gelimen Rex Vandalorum in Africa per Beliſarium captus cum perductus eſſet ad Iuſtinianum Imp. in ſolio ſedentem; illum intuitus, & aſtantes vtrimque, ſubridendo exclamauit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Aduerſitas ei oculos aperuit, quos excæcauerat proſperitas.

Symbolum Galerij Valerij Imperatoris.

Nazianſenus.

Seneca de benef. omnium terũ voluptas apud imperitos, ipſo quod fugare debet periculo creſcit.

D. Aug. 8. Conf. edendi & bibendi voluptas nulla eſt niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia & ebrioſi quedã ſalſiuſcula comedũt, quo fiat moleſtus ardor quem cum extinguit potatio fit delectatio.

Aſpera ſuauium ſunt viatica, & laborum fructus voluptates.

 Marcet

Marcet ſine aduerſario virtus. Deſumptum eſt ex Seneca, cuius ea eſt ſententia.

Tum enim in otium reſoluitur. *Otia dant vitia, vt eſt in Prouerbio.* Lucanus. *Varium dant otia mentem.*

Horatius

Otium Reges ſimul & beatas
Perdidit vrbes.

Etiam *Leones rege ceruo vincuntur.*

Perijt Roma deleta Carthagine D. Auguſtinus.

Saluſtius in Catilin. *Ibi labore atque iuſtitia Reſp. Romana creuit Reges magni bello domiti, nationes feræ & populi ingentes vi ſubacti; Carthago æmula Imperij Romani à ſtirpe interijt, cuncta maria terræque patebant, ſeruire fortuna cœpit &c.*

Pædaretus pugnaturus cuidã dicẽti multos eſſe hoſtes, tanto inquit, plus gloriæ referemus.

Scipio Naſica quibus aſſeuerantibus res Romanas iam in tuto eſſe extinctis Carthaginenſibus & Græcis in ſeruitutem redactis, *Imo vero*, inquit, *nunc demum ſummo in periculo ſumus quando nulli amplius ſuperſunt, quos vel metuamus vel reuereamur.*

Leonidas Perſæ cuidam minãti quod Lacedæmonij non eſſent viſuri ſolem ex telorũ multitudine. In vmbra pugnabimus.

Appius Claudius dicebat *Melius negotium populo Romano, quam otium committi. Nam multitudo bellis ad virtutem excitatur, in pace defluit ad voluptatem.*

Ciuitates illæ optimis legibus inſtitutæ exiſtimantur quæ bellis finitimis infeſtantur. Friget omnis generoſa actio, quæ citra contentionem eſt propoſita.

Fortuna quem nimium fouet ſtultum facit. Publian. vt ſupra.

Chriſto-

Chriſtomus. *Proſperitas Nouerca eſt virtutis.*

Liuius. *Raro bona fortuna bonaque mens ſimul dantur homini.*

Valer. Max. *Felicitatis & moderationis diuiduum eſt contubernium.*

Plutarchus perpaucis contingit *felices eſſe & ſapere.*



SYMBOLVM

MAXIMINI IMPERATORIS

Quo maior, hoc laborioſior.

MAXIMINVS IMP. robore corporis, & labore maximo erat. Cum ei quodam die tribunus diceret parum decere Imperatorem tantopere laborare: *Imo*, inquit, *quo maior ſum, eo magis laborare cupio.* Inde hoc eius Symbolum. *Quo maior, hoc laborioſior.*

Quid volebat? Nimirum non tantum virtutem, ſed fortunam etiam labore comparari. Nec laborem dedecere Principes.

Hinc Alexander Magnus. *Nihil magis ſeruile, quam luxuriam, nihil magis regium, quam laborem eſſe dicebat.* Et vero vt ait Xenophon *fortibus viris, quaſi obſonia quædam ſunt labores.*

Vt igitur Oerca hoc Symbolum diſſerere incipiamus, Cyri apud Xenophō ſententiam tanquam meam propono. *Ego*, inquit, *arbitror decere Principem, anteire ſubditis, non vita deſide & laborum experte, ſed eo, quod rebus prouideat laboreſque libenter ſubeat.*

Paradoxum videri poteſt; ſed probemus & illuſtremus. Qui virtutem habere potius debent, quam Principes? *At virtus per labores incedit* inquit Euripides.

Idem

Idem. *Laboris expers, quis celebris gloria?*

Heſiodus. *Virtutem poſuere Dij ſudore parandam.*

Sed & ipſum officium Principum labores exigit. Hinc Plinius Traiano, *Aſſumptus es in laborum curarumque conſortium; nec te læta & proſpera ſtationis iſtius, ſed aſpera & dura ad capeſſendam eam compulerunt.*

Similes ſunt Principes ſoli, ſtare neſcit. Expreſſit hoc Pacatus in Paneg. ad Theodoſ. Imp. *Vt indefeſſa vertigo cælum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit: ita tu Imp. continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus, ſemper exercitus es.*

Alexius Angelus Orientis Imp. vt habet Choniates Lib. 2. de Geſtis eius. Cum ſero cibum caperet, & moneretur cauendum eſſe, ne ea re valetudinem læderet, reſpondit; *Homini priuatò quoduis tempus ad cibum capiendum eſſe idoneum, id præſertim cui aſſueuerit: regi vero tot curis diſtracto, ſi nomini ſuo reſpondere velit, ſatis eſſe ſi veſperi curare corpus liceat.*

Hunc Principum laborem voluit ſuo Symbolo ſignificare Erneſtus Dux Luneburgenſis. Iubebat facem, ardentem depingi, cum his verbis, *Alijs inſeruio, meipſum conſumo.* Indicabat Principem eſſe inſtar facis & candelæ. Illa lucem præbet omnibus, & ſe conficit: & Princeps omnium negotia cum valetudinis & rei priuatæ detrimento ſuſtinet.

Laborioſiſſima fuit vita Conſtantini Magni ſem-

per dicebat ijs,qui auocare volebant Imperatores non debere laborem relinquere.

Sæpiſſime totas noctes inſomnes ducebat, & cum à curis publicis, vel bellis aliquid otij ſupererat, illud inſumebat ſcribendo orationes, vt ijs tanquam rationum fræno ſubditos,ad rationis Imperium adduceret. Quare omnes ad illum audiendum confluebant.

Philippus II. Hiſp.Rex Principum vitam textorum vitæ ſimilem eſſe dicebat. Sicut illorum officium valde laborioſum eſt, requirens aſſiduitatem & indefeſſum pedum & manuum motum, defixoſque in tela oculos quæ vt innumeris conſtat filis, ita facilè ſoluitur; rupto hic filo, alibi intricato; ad quæ omnia reconcinnanda tam oculi, quam manus ſine vlla mora præſto eſſe debent; ita Reges & oculos & manus, & totum animum pluribus negotijs intentum habere debent, ac ſemper laborare.

Symbolum Seueri Imp. *Laboremus*. Pertinacis, *Militemus*. Diximus de vtroque alibi.

Hæc conſiderans Carolus Magnus filios ſuos 1. liberalibus artibus erudiri curabat, tum exerceri regimine equorum, armis, venationibus; vt ſemper laborarent. Filias ad lanificium aſſuefaciebat. Vt tradit Belloforeſtus. Eodem modo. Auguſtus filiam & neptes lanificio aſſuefaciebat. Suet. c. 64. Nam quemadmodum, virtus per labores

ince-

incedit, ita per otia vitium.

Semper enim variam dant otia mentem. Lucanus.

Dionyſius Senior cuidam percunctanti num eſſet otioſus? *Abſit*, inquit, *vt hoc mihi vnquam accidat.* Senſit turpe eſſe regem vacare à laboribus.

Homerus vt laborantem Principem repræſentet, Agamemnoně cæteris dormientibus ſolum vigilantě facit

Rex apud Perſas puerum habebat cubicularium, qui mane regium thalamum ingreſſus his verbis Regem expergefaciebat, *Surge Rex, & populum tibi commiſſum cura.* Vel. *Cura negotia quæ te Meſoromaſdes curare iuſsit.*

Ea curabat Veſpaſianus: qui quodam tempore reprehenſus à Medicis, quod male habens Imperatoria negotia tractaret, reſpondit, *Imperatorem ſtantem mori oportere.* Suet.

Ideo Ariſtippus apud Xenophontem volens formare virum, qui Reip. habenas ſumpturus ſit, facit eum non multo ſomno vti, vigilare, & noctem negotijs diuidere. Omnium officiorum laus in diligentia & labore conſiſtit. Imo dicit Leo magnus *Vigilantia & labor ſunt vera generoſi animi nutrimenta.*

Quomodo non eſſet cæteris laborioſior Princeps, qui pro cæteris dormientibus vigilare debet?

Hinc Epaminondas Thebanus, cum Thebani ciues quibuſdam diebus ludis & compotationibus indulge-

dulgerent ſolus vigil & armatus vrbis mœnia obambulabat. Rogatus cur id faceret, decet, inquit, me laborare, vt cæteri quieſcant, & ludis ſuis vacent.

Carolus Magnus ita laborioſus erat, vt etiam noctu cum in cubili eſſet, capiti pugillares ſupponeret; & ſi quippiam vtile in mentem veniebat, annotabat, ne memoria laberetur. Somnum quater aut quinquies non ſolum expergiſcendo, ſed ſurgendo etiam interrumpebat. Auentinus Lib. 4. Ann. Ba.

Neque certe fruſtra Reges, manus & pedes habent. Ledidum hoc. Alphonſus Rex Aragoniæ legere aliquid in Regia bibliotheca cum vellet, & abeſſet cuſtos obſerata libraria, forcipe ſeram excutere contendit, interueniens Matthæus Siculus vir eximiæ ſanctitatis & ſacordos, *Tune id Rex magne, tune id tuis manibus?* Rex ſubridens, *Quid*, inquit, *eſt? Nunquid Deus & Natura fruſtra Regibus manus dederunt?*

Sed qui labores Regibus digni?

Præter tractationem publicorum & Ciuilium negotiorum, item bellorum adminiſtrationem, alij pro otio ſunt. *Diſcite ab his.*

Magnus Sfortia multa arte luctabatur, ingentis ponderis ſaxa iactabat, ferreos vectes iaculabatur, teretem palum in terga conuerſis manibus euibrabat, ſaltu & curſu plurimum contendebat &c. Quibus exercitijs ipſe lacertoſus & induſtrius ita profecit, vt vali-

diſſimum

diſſimum quemque ſuperaret, & ad neceſſarios labores ſufficeret. Vnde tot victorias reportauit.

Quænam autem artes, quibus occupari Reges debent? Quidam Macedoniæ Rex fabricandis lucernis & imaginibus cera fingendis occupabatur.

Attalus Rex fundendis ſtatuis.

Henricus I. Imp. capiendis auibus deditus erat.

Fredericus III. rem metallicam tractabat.

Albertus IV. Dux Auſtriæ ingenioſiſſimus, dolabat, tornabat, & alia id genus manibus faciebat, mireque cum otium erat, geſtiebat.

Fredericus II. hortis colendis delectabatur, & herbarum notitia, qua pene Medicos ſui temporis ſuperauit. Item gemmis, quas vndique conquirebat. Sigiſmundus Polonię Rex fuit Torneator. Itē Matthias primus. Item Henricus Auceps Fictitium martem exercebat; id eſt torneamenta vt vocant.

Manfredus Neapolitanus Aurifaber excellens fuit, argenteamque Aquilam ſuis manibus fabricauit qua etiam pro inſignibus vtebatur in ſumma galea.

Alphonſus Ferrarienſis Dux tormentorum fuſor fuit, quorum duo fudit, Bello Veneto, eorum alterum Terræ motum appellauit; alterum *Grand diable* magnus diabolus.

Iacobus IV. Rex Scotiæ vulnera ſcientiſſime tractauit.

Fredericus II. Rex Neapolit. omnium pene artium mechanicarum fuit peritus; omnino inſignis artifex.

Rudolphus II. Imp. Pictor ingenioſſimus & aurifaber fuit. Ipſemet coronam auream & menſam ex meris gemmis confecit. Inprimis vero horologiorum artifex fuit. Fuſione tormentorum æneorum admodum delectatus, & eorum inſpectioni quotidie vnam horam dabat.

Venceſlaus Adamus Dux Sileſiæ fuit tonſor egregius, & vulnera, quæ curare alius non poterat, etiam deſperata perite tractabat. Vnde ſubditos etiam infimos viſitabat, & Medicina ſua ſanitati reſtituebat.

De his rebus Lib. 1. Inſtit. Politicarum Titulo xx. n. 3. vide.

Cum laborioſi autem Principes eſſe debeant, tum vel maxime alij.

Hinc M. Aurelius Imp. voluit animaduerti in otioſos; & interdici ne quis ſine teſſera profeſſionis per vrbem ambularet; alias ad opus publicum male feriatus per Cenſorem condemnabatur.

Nam, vt dicebat Alcibiades, Ciuitas negotioſa, ſi negotium cum otio commutet, ſtatim euerſionem, aut ſtatus mutationem eſt paſſura.


Ideoque Appius Claudius aiebat, negotium populo Romano melius, quam otium committi, quod præpotentia Imperia agitatione rerum ad capeſſendam

dam virtutem excitarentur, nimia quiete in deſidiam reſoluerentur.

Apud Sinas neminem feriari patiuntur.

Apud Veteres Indos non prius edulia adoleſcentibus apponebantur, quam facta diſquiſitione quid à lucis ortu didiciſſent, vel feciſſent : qui nihil reſpondebat, impranſus triclinio extrudebatur.

Apud Lucanos qui otioſo mutuaſſe aliquid conuincebatur, is mutuo dato priuabatur. Stobæus Serm. 42.



VIBII TREBONIANI GALLI IMP.

Nemo amicus idem & Adulator.

SOlebat dicere Trebonianus præſtare habere acerbos, quam ſuaues amicos. Inde hoc eius Symbolum. *Nemo amicus idem & Adulator.* Quod deſumptum videtur ex illo Phocionis reſponſo ad Antipatrum *Non facile eſt eodem & adulatore & amico vti.* Porrò vt diſſertationis hodiernæ materiam ponamus videndum imprimis quid adulator, & adulatio, quam, Reip. noxia, quo modo diſtingui amicus & Adulator poſſint.

Plato in Phædro *Adulator eſt beſtia omni humano generi peſtilens, ſimilis venefico, imo impuro Dæmoni, qui animos incautos funeſtis epulis fouet, & ſordibus noxijs inquinat.*

Q. Curtius Adulationem eſſe ait perpetuum Regum malum, quo ſæpius eorum opes, quam ab hoſtibus euertantur. Imò Plutarchus Adulatorem Patriæ & virtutis inimicum appellat.

Et hoc quidem vt vult Tacitus, vetus eſt in Rep. malum, propterea quod omnem deleat veritatem,

ſine

ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt.

Huius mali grauitatem, vt Scriptores paſſim oſtenderent, varijs rebus Adulationem comparauerunt.

Fulmini. Vt enim illud oſſa diffringit illæsâ cute, ita aſſentatio Magiſtratus viſcera vulnerat ſub ſpecie amicitiæ.

Hinc Seneca. Adulatio quam ſimilis eſt amicitiæ; non imitatur tantum illam, ſed vincit; apertis ac propitijs auribus recipitur, & in ima præcordia deſcendit; eo ipſo gratioſa, quo lædit.

Sic nihil eſt, vt ait S. Hieron. quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci ac molli vulnere ànimum feriat.

Quia adulatio habet vocem Sirenis dulciſſimam, ſed ventrem Charibdis voraciſſimum. Eſt blanda & tamen aſpera; eſt dulcis & tamen amara. Ipſa eſt Vipera, & faciem humanam oſtendit: Eſt nigra & apparet tamen candida.

2. Locuſtæ, quia fructus deuorat.

3. Api, quia mel habet in ore, & aculeo Pungit.

4. Scorpioni, quia pungendo ferit & necat.

Quid Adulator?

Eſt blandus inimicus ſeu hoſtis, Ita Philoſophi poſſim. Nimirum Adulatores omnium temporum & affectionum ſunt homines. Hi ex Principis vultu pendent, & in illius oculis habitant.

Si Princeps rideat, rident; ſi mœſtus ſit, triſtantur; ſi ſtomachetur, iraſcuntur; ſi infirmus ſit, toto vultu palleſcunt. Loquendo illum laudant; dormiendo illum ſomniant, tandem Chamæleontis inſtar colorem affectumque Principis induunt, & quam in Principe velut in ſpeculo imaginem vident, eam referunt.

Et vt aqua colorem terræ contrahit, per quam decurrit, ita Adulatores &c.

Sunt Muſici, venatores, crudeles &c. Si Princeps ſit talis.

Si Princeps ſpoliet ſubditos bonis ſuis; omnia illius eſſe aiunt.

Si bellum iniuſtum & periculoſum moliatur, hic aiunt, eſſe dignum Rege, magnanimoque maioribus.

Si ignauus ſit; aiunt regium eſſe alijs labores relinquere.

Sic illi Principes, qui ſunt ſontes publici inficiunt; vt aliquando nihil ab ijs niſi corruptum promanet.

Senec. Ep. 124. *Horum ſermo multum nocet: nam etiamſi non ſtatim officit; ſemina tamen in animo relinquit, ſequiturq́; nos etiam, cum ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſtea malum.*

Cauſam dat Lib. 4. Nat. 9. in præf. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ, etiam cum reijciuntur placent; ſæpe excluſæ recipiuntur.

Et

Et hæc ratio eſt, quia maxime conueniunt cum ijs, quæ ingenitus amor ſui facile perſuadet; hic autem amor maxime Principibus imperat.

Quomodo agunt cum Principibus?

Sicut, inquit, Pythagoras perditæ mulieres cum ſuis amatoribus, quibus à Deo vitam, ſalutem opes & alia omnia exoptant, præter bonam mentem.

Alphonſus Siciliæ Rex dicebat eſſe ſimiles lupis, qui titillando, palpando, ſcalpendo aſinos vorant; & ita illi blandijs & mendacijs, ad pernitiem Principum tendunt. Deuorant, quos infatuant; ideoque illos maxime auerſabatur & Principum peſtes appellabat.

Quodam tempore cum ex Sicilia nauigans vidiſſet garrulas aues triremem circumuolantes attentaſq; ſi quis bolus è triremi decideret certatim illum arripere, & aufugere celeriter; conuerſus ad ſuos *perſimiles*, inquit, *ſunt his purpurati & coriales aliquot mei. Simul ac enim aliquod munus aut beneficium hiantes & dimicantes inuicem, à me acceperunt, profugiunt.*

Antiſtenes dicebat melius eſſe incidere in Coruos, quam in Adulatores, quia hi viuentibus, illi mortuis oculos eruunt. *Epictetus etiam in Enchiridio.*

Pardus odoris gratia allectas feras inuadit & occidit; ita Adulatores blandiloquentia irretitos fallunt & perdunt.

Perdiderunt Alex. Magnum, Agrippam, I. Cæſarem *Sabellicus. Sueton. Xiphilin.*

ſarem

ſarem, Antoninum Caracallam &c.

Demoſthenes ait publicas omnes clades & ærumnas pene eſſe Adulatoribus tribuendas.

3. Regum. Adulatio perditorum iuuenum fecit Roboam tyrannum.

Agrippa cum in ſublimi ſella Cæſareæ ſplendido in amictu verba ad populum faceret, Adulatores ei tanquam Deo acclamauerunt; cum ille ſibi idcirco ablandiretur, repente ab angelo percuſſus computreſcente carne ac viſceribus morbo pediculari conſumptus eſt. Act. 12. Ioſeph. li. 19. An. 6. 7.

Hinc Crates Thebanus dicebat eos Principes qui cum adulatoribus viuerent deſertos eſſe ſicut vitulos inter lupos.

Non proinde immerito boni Principes illos ſunt deteſtati.

Alexan. Mag. librum Ariſtobuli Hiſtorici Adulatorium proiecit in fluuium Hydaſpen addens authorem digniorem, qui proijceretur.

Plutar. Ageſilaus Laced. laudari amabat, ſed ab ijs, qui non vererentur etiam vituperare ſi opus eſſet.

Auguſtus ſi quis inter ſalutandum flexiſſet caput vel blandius fuiſſet aſſentatus, eum detrudi foras iubebat. In ſpectaculis, cum à Mino dictum eſſet *O dominum æquum & bonum!* & omnes de illo approbarent, vultu & manu adulationem repreſſit, & edicto cauit

ne

ne Dominus vocaretur. Suet. c. 53.

Satellius Quadratus apud Senecam ep. 27 Adulatores Dominorũ ſuorum ſunt arroſores, corroſores & quod his duobus coniunctum eſt, deriſores. Anaxilaus vocat Opum vermes.

Conſt. Imp. tineas & ſorices Palatij.

Tiberius eos non ferebat. Si per genua orarent recedebat. Cuidam dicenti ſacras eius occupationes, dic inquit, Laborioſas. Cum auctore eo adijſſe Senatum, dic inquit, Suaſore.

Peſcennius niger cuidam volenti recitare eius Paneg. Scribe, inquit, laudes Marij, Hannibalis, vel alicuius mortui, quem imitemur, Laudare viuentes irridere. Spartianus.

Iouinianus dicebat eos non Deum ſed purpuram

Antigonus Rex ſacrificans Dijs precabatur vt ſe à ſimulatis amicis ſeruarent, rogatus quare? *Quia*, inquit, *hoſtes notos mediocri diligentia caueo, à fictis amicis non poſſum, Deo protectore opus eſt.* May. ſerm. de Amicit.

Quomodo diſcernendus amicus ab Adulatore.

Hac de re ſcripſit opuſculum Plutarchus. Amicus vero amore diligit quia amicus meretur nullo commodi reſpectu. Adulator quæſtus cauſa, & ob bonum quod ſpe deuorauit. Ideoque ille in proſperis & aduerſis permanet, hic vbi lucri nulla ſpes, terga vertit, nec agnoſcit, quem antea venerabatur. Imitantur hirun-

dines, æſtate nobiſcum ſunt, hyeme auolant.

Amicus in omni negotio conſiderat quid boni maliue redundare in Principem vel Remp. poſſit; adulator quid ſibi commodi ſit futurum.

Amicus agit, vt Princeps tractet cum bonis, ſapientibus, prudentibus, Adulator illos remouet ab amicitia Principis, ne per eos Princeps in contrarias ſuis opiniones adducatur.

Amicus gaudet beneficia conferri à Principe in bene meritos; Adulator omnia ſibi dari vult, & amiſſum putat, quod alius accipit. Ille gaudet cum carus eſt populo, hic non curat ſi ſuas partes negligat.

Amicus placere cupit, ſed veritatem dicendo; Adulator ad Principis geſtum attendit; ſimilis coco, qui non valetudinis rationem habet, ſed palati.

Quia Mithridates aliquid ſtudij dederat medicinæ, quidam adulandi gratia ſeſe ei curandos præſentabãt, vt plurimi ſe facere eum oſtenderent.

Plutarchus nouit quendam, qui quia Princeps diuortium fecerat cum vxore, etiam cum ſua fecit, etſi furtim eius conſuetudine vteretur.

Cum Philippus Macedo amiſiſſet oculum in bello, adulator cepit oculũ ſibi illinere collyrio, vt imitaretur.

Cum Alex. M. quod Clytum occidiſſet, ſe occidere vellet, tum Anaxarchus Adulator, an neſcis, inquit, iuſtitiam Ioui aſſidere, vt quicquid illi cordi fuerit ſanciat?

ciat? vt Alexander ſe &c.

Amicus ſibi ſemper ſimillimus eſt, quia veritatem, rationem, & amici bonum intuetur; Adulator cum Principe mutatur, quia guſtui eius deſeruit.

Princeps ergo vt dignoſcat, debet aliquando declarare id ſibi placere, quod ante diſplicebat, & contra; ſtatim mutabitur Adulator, non amicus.

Præterea conſulat conſcientiam ſuam, & illa reprehendente quod adulator laudat, intelliget eum ad voluntatem non veritatem loqui; nam accommodat ſe ad voluptates, amicus ad rationem.

Hic verus diciturAmicus qui vero amore non queſtus cauſa ad domino obſequendum mouetur; Adulator domino ſeruiens ſuum commodũ tantum quærit.

Remedia contra Adulationem.

1. Nolle laudari. Peſcenninus Niger, *Placere viuus, laudari mortuus volo.*

2. Libenter veritatem audire & declarare ſe intelligere irriſoria encomia, quæ ſupra modum ſunt.

3. Palam oſtendere, illos ſibi odio eſſe. Ladiſlaus Rex Poloniæ Adulatores colaphis cedebat, *Percutientes me repercutio.*

Matthias I. Rex Hungariæ cum laudatus eſſet vltra modum, ait *Multa*, inquit, *in me non agnoſco, quæ dixiſti; non ſucceuſeo tamen, quia bono animo dixiſti; conabor adimplere, ac tum tibi præmium dabo; cum talis ero.*

SYMBOLVM

M. ANTON. GORDIANI

Princeps miſer, quem latet veritas.

CVm Princeps aliquis peragrare loca omnia ditionis ſuæ non poſſit, nec libere vbiuis ambulare, neceſſe eſt vt audiat tantum, & audita ſæpe confirmet; in quibus cum facillime decipiatur, ſæpe credit quæ falſa ſunt, & quæ vera ſint, non ſatis intelligit. Ideo auctore Capitolino dicere frequenter Gordianus ſolebat *Miſerum eſſe Cæſarem, apud quem vera reticerentur.* Vnde formatum eius Symbolum, *Princeps miſer, quem latet veritas.*

Eſt enim Veritas ſecundum Plutarchum *Magnæ virtutis principium.* Imo, vt Pindarus canit, *eſt filia Iouis.* Et vt Olympias, *eſt cœli ciuis conuictu Deorum fruens*; cuius ſane robur eſt fortiſſimum, vt hac duce numquam errari poſſit, ſecundum Sophoclem.

Quam ob cauſam Euripides dicit, *veritatem optimum viri iuſti decus eſſe, & præmium.* Eius duæ ſunt Comites, ſecundum Auguſtinum, *ſapientia & conſtantia.* Cum autem omnis hominum virtus & ſapientia in veritate conſiſtat, quæ latere non poteſt & in omnem partem ſui ſemper ſimilis, vna & eadem ſit, maxime neceſſaria Principibus eſt, quorum regna ſapientiâ debent

admini-

adminiſtrari & conſeruari. Veritas enim, ſecundum Menandrum, omnium rerum iuſtiſſima eſt; & verum etiam, ſecundum Comicum, præſidium longe optimum atque tutiſſimum.

Veritatis inopia laborãt magna faſtigia & omnia poßidentibus deeſt, qui verum dicat. Seneca. Li. 6. de benef.

Porrò cum ea ſit veritatis neceſſitas, tum ea vix reperiri in Aulis Principum ſolet.

Hinc Ludouicus XI. Galliæ Rex, dicebat in Aula ſua abunde omnia, quibus opus eſſet, reperiri, vnum tamen deeſſe, rogatus, quidnam eſſet, *Veritas*, inquit, *quam pater meus agere animam dicebat, ego vero & quidem inteſtatam mortuam eſſe puto.*

Potentum parietes & laqueata Aularũ tecta libertatis vocibus non reſonant. Camerarius.

Si mortua, certe in Aulis, vbi vix veri aut honeſti aliquid ſuggeritur.

Hinc cum Carolus VIII. Ludouici Regis Galliæ filius cum familiariter à Pincerna ſuo ſciſcitaretur, quid cauſæ eſſet, cur tam pauci Reges poſt hanc vitam cœlum peterent; *Quia*, inquit, *paucos circa ſe habent, veri honeſtiq́ monitores.* Ioannes Michael.

Quam ob cauſam Ludouicus VI. Rex Francorum etiam ſæpe ſimulato habitu turbæ ſe admiſcebat vt liberas de ſe voces & populi iudicia de ſe audiret, ac veritatem inueniret, quo facilius ſuis & Reip. mederetur incommodis.

Veritatem illam Antiochus Rex Aſiæ non in Aula ſua, vbi erat circumſeptus Adulatorum turba, ſed in caſa ruſtici vnius inuenit. Nam cum inter venandum

ab Aulicis ſuis aberraſſet, tandem ſera nocte venit in caſam pauperis ruſtici vbi cum ignotus ipſe in cœna Regis iniecta mentione, quæſiuiſſet, quid de Rege diceretur, *Tum Ruſticus* ait, dicitur, inquit, *quod multa officia amicis ſuis viris improbis committat, & ad eorum iniqua facta conniueat. Quod immodico ſtudio venandi multa neceſſaria negotia negligeret, aut alijs inutilibus poſtponeret. Regem quidem virum eſſe bonum, ſed prauis conſiliarijs ſtipatum.* Ad hæc nihil tamen Rex reſpondit, nec ſe prodidit. Cum autem mane adeſſent Aulici, & purpuram ac diadema deferrent, conuerſus ad illos, *Agite*, inquit, *ex quo vos reliqui veritatem demum heri intellexi, nec à quoquam veſtrum, à quo tempore mihi adeſtis, liberiorem vnquam de me vocem audiui, quem ab hoc ruſtico.*

Multi Miniſtri ſunt qui omniũ ferculorũ copiam adſ menſam adferunt ſed nullus ferculum veritatis adferre audet. Tholoſanus lib. 14. de Rep. cap. 5.

Quid mirum ſi ſupra modum Mortuo Varo dolebat Auguſtus Cæſar? Quia, vt aiebat, nullus amplius erat, à quo verum audiret.

Porrò vt Reges veritatem inueniant, hoc primum eſt, vt veritatem libenter audiant.

Interrogatus aliquando Cardinalis Aldobrandinus cuius rei iucundiſſimus adferri nuncius Principi poſſet, veritatis, inquit, nam quæ auditu ſunt iucunda, ſordent omnia ſine veritate. Ideoque idem dicebat, putidum eſſe Principi non modo dicere, ſed etiam audire, quod à vero ſit alienum. Etſi veritas ita

latens

latens & retruſa ſit, vt ſæpe Argum etiam fallat; cuius Aram Heraclitus in Antro conſtituebat, & eam Democritus in Puteo.

Veritatem libenter audiebat Fridericus Imp. qui tum demum ſaluam fore Remp. aiebat, ſi Senatores de rebus conſultaturi in veſtibulo Curiæ ſimulationē & diſſimulationem ponerent, ac ſolam veritatem adferrent. Æneas Sylu.

Inde apud Homerum Iliad. Lib. 9. Achilles affirmat ſe perinde ac mortem eos odiſſe, qui aliud loquuntur, & aliud ſentiunt, ipſamque reticent veritatem. Atque eiuſmodi ſunt heroica ingenia, nimirum, aperta & inimica ſimulationum.

Hoc eſt ſecundum dictum Pythagoræ, qui dicebat duo eſſe data hominibus pulcherrima, veritatem amplecti,& alijs benefacere. Vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe. Ælian Lib. 12. cap. 59.

Ægyptij Sacerdotes, vt Regem ſuum monerent, in omnibus ſummam veritatis habendam eſſe rationem, Sapphyrum, quæ veritatis nomine nuncupatur, collo eius appendebant.

Secundo, vt Reges veritatem inueniant concedere Conſiliarijs ſuis & Aulicis dicendi libertatem debent.

Rex Theopompus Laced. quærenti quomodo quis fidele,

fidele, & perpetuum ſeruet regnum, reſpondit, *Si amicis iuſtam admouendi libertatem concedat.*

Vnde rectè Saluſt. de Ordin. Rep. Omnia regna, Ciuitates, Nationes vſq; eo proſperum imperium habuerunt, dum apud eos vera conſilia valuerunt.

De Adriano Imp. teſtatur Dion Caſſius pergratum illi fuiſſe, etiam ab infimæ ſortis homine commonefieri. Tyrannorum ſane eſt hanc libertatem dicendæ veritatis eripere.

Et hinc D. Ludouicus Galliæ Rex inter alia præcepta filio hoc dabat, ita ſe gereret, vt Conſiliarij eius libere ipſum admonerent, docerentque quid in omnibus negotijs fugiendum ſequendumue eſſet.

Et Carolus V. cum primum prudentiæ gradum poneret in firmo propoſito non aberrandi, tum ſecundum eſſe dicebat, auſcultare cum patientia & bona mente veritatem.

Illam cum audiuiſſet à D. Ambroſio Theodoſius Imp. Tandem inquit, ægrè reperi veritatis Magiſtrum.

Ea dicendæ veritatis libertate vſus eſt, Cancellarius Philippi II. Ducis Burgundiæ, qui, cum omnes alij Duci aliquid annuerent, contra æquitatem, ſolus ipſe renuit, & Sigillum Duci remiſit paratus potius dignitatis ſuæ ſplendorem ponere, quam iniquum inſtitutum admittere. Cuius viri integritas ita Duci placuit, vt maioribus honoribus illum donarit.

Et

Et vere nihil peius Conſiliarijs illis, qui veritatem reticent, ad quam dicendam iuramento etiam ſuo obſtringuntur.

Bene Politicus quidam, *Regum conſiliarios, aut Reges eſſe oportet, aut Regum animos habere.*

Et quanquam obſequium amicis, veritas odium parit, pluris tamen faciendus eſt Deus, quam Rex, virtutes, quam vitia.

Dicendum cum Propheta Regio, *loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.*

Malus eſt miniſter Regij Imperij timor. Vnde Virgilius.

Degeneres animos timor arguit &c.

Quid vero timendum? Satius eſt immortalem gloriam cum Papiniano ſibi acquirere, quam in periurij crimen incidere, & ſalubre conſilium ſupprimere.

Quin imo plus Principes diligent veracem aliquem mortuum, quam viuum adulatorem, & hæredibus mortui compenſabunt iuſti Principes.

Tiberius, vt Tacit. Lib. 3. Ann. Quoties Curia egrediebatur, *O*, inquiebat, *homines ad ſeruitutem paratos!* tædebat illum tam proiectæ patientiæ ſeruientium Sena torum, etſi libertatem publicam nollet. Idem tamen dicebat, teſte Suetonio, *in libera ciuitate linguam menteſque liberas eſſe debere.*

Vt enim Abſynthium nomen omne amittit, ſi a-

maritudinem tollas, ſic oratio, ſi dicendi libertatem amittat.

Veritatis inopiâ laborant magna faſtigia, & omnia poſſidentibus deeſt, qui verum dicat. Seneca.

Cautio. Cauere Conſiliarij debent, ne lōquendi libertatem cum audacia & immodeſtia confundant, & inani iactitatione libertatis famam fatumque prouocent.

Rex Ptolomæus Ariſtomenem præceptorem ſuum bibere venenum iuſſit, & coëgit, quod in audienda legatione dormitantem illum excitaſſet, non priuatim monuiſſet.

Alexander M. Clytum occidit, quod ab illo liberius & coram aliis, etiam inter pocula obiurgaretur.

Itaque oportet non coram multis ſed priuatim obiurgationes inſtituere.

Peccati detectio, & ſanatio eſſe debet tanquam morbi turpis ſecreta, ſine oſtentatione, & pompa.

Quæri hic poteſt, an ad cognoſcendam veritatem Principes debeant habere ſuos auſcultatores, delatores, intelligentiarios?

Vulgo dicitur, *Multæ Regum aures ſunt, atque oculi.* Quod de exploratoribus intelligitur. Addi poteſt, quod multas habeant manus, multos pedes, multos ventres. Ita portenta ſunt & monſtra Tyranni.

Papia lege certa præmia ſunt illis conſtituta, nempe

pe dimidium multæ. Nero reuocauit ad quartam partem, vnde quadruplatores dicti.

Cum de abrogandis eorum præmijs ageretur in Senatu, prohibuit Tiberius, quod iura ſubuerterentur, ſi legum cuſtodes amouerentur.

Eccl. c. 10. v. 20. *Ne quidem in conſcientia tua Regi maledicito, nam & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas anunciabunt ſententiam.* Vbi per aues quidam intelligunt exploratores.

Eos Plato in Rep. ſua eſſe iubet.

Admittendum hoc quidem ad amoliendas inſidiarum & ſeditionum ſuſpitiones; & contra ſubditos rebelles in Principem, tunc oportunum eſt, omnia diligenter inueſtigare, quid agat quiſque & quid dicat.

Alias, *Turba grauis paci, placidæque inimica ſaluti &c.*

Sunt vnum arcanum Tyrannidis conſeruandæ.

Si recte agant Principes, quid timeant? odioſi illi ſunt ſubditis.

Veſpaſianus & Titus delatores per Amphitheatrum flagris cæſos exhibebant & trucidabant.

Traianus in nauibus ſine remis & velis expoſuit. Aurelianus ſeuere puniuit.

Tiberius vna die omnes præcipuos occidi iuſſit.

Sunt Auricularij, ſũt Aucupes Nouitatũ, qui rumuſculos congerunt, & ijſdem curioſorũ auribus ſatiſfaciunt. Sicut in Italia Birroarij Raſſi, Spioni, qui minutiſſima explorant & deferunt, ſi quis forenſis arma, imo cultellum cum cuſpide ferat, aut mali quid loquatur etiam de malis ſub ictu fuſtiũ & amiſſione armentum.

D. CÆLII BALBINI IMPER.

Bonis nocet, qui malis parcit.

HOc Symbolum deſumptum eſt ex Seneca, cuius ea ſententia eſt, *Bonis nocet, qui malis parcit.*

Quo Symbolo monemur opus eſſe in animaduertendo quadam iuſtitiæ ſeueritate, ita vt Magiſtratus bonis ſit bonus, & malis malus.

Quomodo autem qui parcit malis, nocet bonis? Quia impunitas malorum coniuncta eſt cum quadam iniuria bonorum, & eſt maxima peccandi illecebra: ſiquidem quando propoſita eſt impunitas, vix quiſquam eſt, qui abſtinere iniuria velit. Vnde multo eſt vtilius improbi ſupplicio multorum improbitatem coërcere, quam propter multos improbos vni parcere, vt quem ipſa natura retinere in officio non poteſt, is pœnæ magnitudine ſubmoueatur maleficio.

Lactantius. Bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit. Nam dum mali pauent, optimus quiſque iuſſis paret vt Tacitus, ait.

Iſæus. Qui punit iniuſtos, in alijs fieri iniuriam prohibet.

Euripides. *Punire fas eſt, & bonum homines improbos.*

Sene-

Seneca. — *Victima haud vlla amplior.*
Poteſt, magiſq́ optima, mactari Ioui,
Quam homo iniquus.

Et vero cum ſecundum Antiſthenem nulla maior ſit Reip. pernicies, quam ſi boni à malis non diſcernantur, id eueniet ſi malis parcatur.

BonitasCiuiũ Remp.ſtabilit,improbitas conuellit.

Rectè Sopater Epiſt. ad Hemeteruum fratrem de Rep.adminiſtranda.*Prabe te ſimul & clementem & infenſum malis; lente quidem puniendo clementiæ ſtudium; malis autem indignando improbitatis odium præ te ferens.Vt hoc quidem fugienda eſſe mala; illud vero non nimis implacabilem eſſe fortunam ijs, qui peccauerunt, documento ſit.*

Ferdinandus Imp. Parcendum eſſe malis non volebat:ideoque nihil in ore ſæpius habuiſſe dicitur,quam faciendam eſſe iuſtitiam, vnde illud Symbolum eius *Fiat Iuſtitia aut pereat Mundus.*

Quippè vt docet,Protagoras.Deus metuens ne vniuerſa hominum communitas interiret, pudorem ijs dedit & iuſtitiam, vt eſſent Ciuitatum vincula atque ornamenta ſine quibus ciuilem ſocietatem coniunctionemque diſſipari neceſſe fuiſſet.

Verum placet non nos diffundere in laudes iuſtitiæ, vel ad vtilitatem eius aut neceſſitatem oſtendendam, ſed hoc Symbolum documentis aliquot Politicis explicare, vt intelligatur, quomodo parcere malis non oporteat.

Primum Documentum, Regum & Principum eſſe proſtratam multis in locis iuſtitiam erigere. Nam ideo multi mali impune viuunt & volitant, quia tribunalia ſilent, ſicque paulatim Reſp. periclitatur.

Gens ſine Iuſtitia, ſine remige nauis in vnda eſt.

Vt Iuuenalis Saty. 8.

Non ſine cauſa apud Virg. Ixion rotæ implicitus aſſidue clamat.

Diſcite Iuſtitiam moniti & non temnere Diuos.

Moyſes conſtituit de omni plebe viros, qui iudicarent, in quibus eſſet veritas, & qui oderant auaritiam.

Ioſaphat Rex Iudæ in cunctis Ciuitatibus Iuda munitis & per ſingula loca & Hieroſolymæ conſtituit Leuitas, Sacerdotes, Principes familiarum, vt iudicia exercerent.

Auguſtus Cæſar in conſtituendis Iudicibus diligentiſſimus & circumſpectiſſimus fuit, quibus etiam gerendæ rei formam præſcribebat.

Eodem modo fecit Alphonſus Arag. & Sic. Rex, qui Principes Iuſtitiam nō colentes ſimiles dicebat ijs, qui morbo caderent comitiali, cum iuſtitia ſit quaſi cibus & nutrimentum vitæ.

Valentinianus Imp. ſubinde dicebat à Principe inprimis iuſtitiæ curam flagitari. Zonaras Lib. 3.

Ideo Philippus Herodis Antipæ frater non tantum procurabat, vt vbique iuſtitia adminiſtraretur, ſed etiam

tiam eum domo egredientem ſemper ſella ſequebatur, in qua, ſi opus in occurſu eſſet, poſita cauſam cognoſceret, & ius diceret. Ioſeph. Lib. 18.c.16.

Rex ſine Iuſtitia eſt nubes ſine pluuia, vt dicebat Iacobus Almanſor Rex Africæ & Hiſpaniæ, cuius throno inſcriptum erat, *Iuſtitia primum in Rege locum tenet.*

Secundum documentum, curare, vt Iuſtitia libere ſine metu potentum exerceatur, & non interturbetur.

Locus enim vbi iudicia exercentur tutus eſſe debet, tam iudicibus, quam litigantibus. Ideo Diotes, cum eſſet à Medis vocatus vt iudicaret, arcem ſibi tutam conſtrui addique cuſtodes voluit, vt tutius & ſine metu iudicare poſſet. Herod. Lib. 1.

Nam quemadmodum metus violentiæ clientes à foro excuſat, Clem. V. Paſtoralis 2. de re Iudic. Lib. 2. t. 11. Sic Iudices à iudicando, vt ſi armis circumſepti iudicent iudicium illorum non cenſeatur liberum.

Sic, apud Polybium Lib. 3. Iphicrates capitis reus iuuenes in iudicio cum gladijs collocauit, qui oſtendentes capita Iudicibus terrorem illis incuſſerunt, & ita eum abſoluerunt.

Sic etiam in iudicio Miloniano, vnde Cicero conqueritur.

Attamen contra hanc vim armati conſtantia Iudices eſſe debent, vnum & illuſtre hic exemplum eſt.

Referunt Annales Angliæ de Henrico V. vel. IV. Regis

filius

filius cum videret ſeruum ſuum raptum ad tribunal propter indignum aliquod facinus, irruit furens in Senatum, & eripere illum Tribunali contendit. Omnes circumſtantes timebant, ſurrexit Iudex & clara voce, accelera huc furioſe iuuenis, gladio, quo cædem iam minitaris ſenile pectus hoc meum percute; pecute, inquam, ſi velis, nam potius moriar, quam hoc exemplum patiar. Locus quo nunc abuteris tui patris tribunal eſt: Iudex quem inuadis tui patris perſonam gerit; lex quam violas te reum ſceleris, non filiũ Principis accuſat. Ego igitur tui Patris nomine totiuſque regni auctoritate te propter hoc facinus in carcerem detrudi iubeo. Perculſus illa voce Regius Iuuenis gladium deiecit, ſeipſum ſententiæ Iudicis ſponte ſubiecit, & in carcerem & vincula vltro abiuit toto populo admirante. Id vbi Rex ſenex & ſapiẽs intellexit, effuſus in lachrymas, *O me beatum*, inquit, *qui tam iuſtũ & ſincerum Iudicem, qui tam pium & obedientẽ filium ante ſepulchrũ video.*

Tertium Documentum eſt, in Iuſtitiæ adminiſtratione nullam eſſe Perſonarum acceptionem.

Hinc ſocer Moyſis monebat eum, Delige ex omni Populo viros Potentes, qui Deum timeant, fidem colant, auaritiam odio habeant. Potentes, vt reſiſtant audaciæ; timentes Deum, vt illum vnum intuentes nullius acceptionem habeant &c.

Traianus Præfecto Prætorij. Cape ferrum hoc, pro me, ſi

me, ſi recte imperium geſſero; ſin aliter, contra me, vtere. Noluit æquitati perſonam ſuam præponderare.

Cum ab illo audiri mulier quædam vellet, non vacat, inquit, illa, noli ergo imperare, mox audiuit.

Epaminondas filium coronâ impoſita ſecuri feriri iuſſit, quod conflixiſſet contra mandatum Patris. Idem de Bruto & Torquato.

Idem de Zaleuco Locrenſium legiſlatore qui legem tulerat de adultero vtroque oculo orbando, cum filius peccaſſet, ſibi vnum, & alterum filio oculum eruit.

Phocion Athenienſium Princeps ne genero quidem Charillo cauſam repetundarum dicturo adeſſe voluit, *Mihi*, inquit, *Generum & hominem iuſtum, & probum optaui.* Sicque inde ſe proripuit.

Carolus V. dicebat *Quemadmodum Sol tam egenis, quam diuitibus æquali menſura lumen diſpenſat, ita Principum eſt ſine vllo perſonarum reſpectu ſubditorum cauſas examinare, & æquali iuſtitiæ temperatione iudicare.*

Iuramentum vetus & nobile Heliaſtarum Iudicum fuit, *Audiam accuſatorem & reum æquo animo ſine affectibus & perſonarum ratione.* Demoſthenes contra Timocratem.

Andreas Hungariæ Rex proficiſcens in terram ſanctam, vxorem ſuam Gertrudem cõmendauerat Bancbano. Venit poſtea frater Reginę, cui illa vxorem Bancbani pudicam fœminam per fraudes ſubſternit. Hæc marito rationem omnem exponit, qui Reginam adit,

& facinus ferro vlciſcitur. Tum Regi occurrens circa Bizantium rem illi aperit, verumque Iudicem, & ſi meruit, vindicem poſcit. Rex *Tu*, inquit, *abi redi in regnum, vicem meam vt ante functurus. Nam reduci mihi ſi Deus annuit, ſtat hanc cauſam cognoſcere & decidere.* Si innocens es, tunc libenter abſoluero; ſi autem nocens, ne nunc quidem damnatum, volo ne expeditionem hanc in hoſtes fidei ſumptam Chriſtiano ſanguine auſpicer. Poſtquam redijt, cauſa ſerio diſcuſſa, pronuntiat vxorem ſuam iuſte cæſam videri. Lipſius in Monitis Lib. 2.

Canutus, Vandalorum Rex, ita ex æquo iuſtitiam colebat, vt omnibus indiſtincte nocentibus, ſupplicia repræſentaret; non affinitas, non amicitia delicto patrocinabatur. Deprehenſi erant in Merica ſuæ ditionis latrocinantes, quibus vltimo ſupplicio condemnatis, cum pœnam ſumere Carnifices iuſſiſſet, ex medio damnatorum grege quidam proclamat, eſſe ſe de Regis Canuti cognatione, iure ſanguinis impunitatem & vitam depoſcens. Quo Rex audito, *Cognato*, inquit, *noſtro, vt honoratior ſit locus, ſublimiorem parate crucem.* Crantzius Lib. 3. Wand. c. 32.

Crant. 4. Sax. Eodem modo Otho III. Imp. vxorem ſuam Aragoniæ Regis filiam publicè cremandam iudicauit, quod rea eſſet necis Comitis cuiuſdam innocentiſſimi, in quem cum oculos procax coniecisſet, paſſa repulſam de attentata pudicitia illum accuſauit, & occidi curauit.

uit. Sed cum eius innocentiam contrectato candenti ferro coram Imperatore vxor eius probauiſſet, Imperatrix publice concremata eſt.

Quartũ documentũ, vt Iudices nulla munera accipiant.

Accuſatiuus ſi venerit ante tribunal,
Atque vocatiuus, quamuis fuerit peregrinus
Proficit in nihilum, ſi venerit abſque Datiuo.
Dum diues loquitur, verbum Salomonis habetur;
Dum pauper loquitur, tum barbarus eſſe videtur.

Iſaias 5. cap. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus.*

Eiuſmodi iudices ſunt ſimiles Arundini Piſcatoris, quæ capto Piſciculo manet recta, capto autem magno piſce flectitur & contorquetur.

Turpe eſt audire iudicum manus auro delinitas & perunctas eſſe.

—— *Male verum examinat omnis*
Corruptus Iudex. Horatius Satyr. 2.

Iudicium ſimile eſſe debet Caſtæ & Pudicæ Virgini, ideoque premonendæ corruptelæ &c.

Cambyſes Siſamnem propter pecuniam inique iudicantem excoriauit. Herodot. Lib. 5.

Tiberius ideo etiam P. Suillum in inſulam amandauit. Alibi hac de re.

SYMBOLVM

HENRICI TERTII

Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

ALij hoc Symbolum ita efferunt. *Qui litem tollit, maledictionem in benedictionem conuertit.*

Cuius non alius eſt ſenſus, quam quod imprecationem conuertat in fauſtam precationem. Nam litigantes extincta omni in ſe charitate ſibi inuicem maledicunt, ſeſe execrantur, ſibi mutuo diuerſa mala imprecantur: vbi autem pacem inierunt, & compoſita lis eſt, ſibi benedicunt, ſe amant, bene apprecantur. Quorum omnium cauſa eſt, qui litem tollit ſeu componit.

Vt vero altius diſſerendo hoc Symbolum explicemus de litibus ipſis primo dicamus, tum de remedijs.

De Litibus.

Lis in hoc Symbolo execratio ſeu maledictio appellatur.

Quare rectè Martialis in illo Epigrammate *Vitam quæ faciunt beatiorem &c.* Inter conditiones beatæ vitæ, hanc ponit iure merito,

Lis numquam, toga rara, mens quieta.

Et

Et tamen vt dicit Schônborn. Lib.7.Polit.c.2. *Sicut hoc ſæculum plus ſcientiæ habet, quam conſcientiæ, ita magis litigia, quam veritatis veſtigia ſequitur & aſſequitur.*

Dici poteſt quod Heſiodus in Erg. Lib.1.

Ego porro ne ipſe nunc inter homines iuſtus eſſe velim. Neque meus filius, quando malum eſt iuſtum eſſe. Si quidem plus iuris habebit iniuſtior.

Hodie *forum litibus inſanum,*

Lis litem parit; Imo lites inſtar hydræ creſcunt, cuius caput ſi detruncetur, ſeptem alia reſurgunt.

Et tamen omnes Prouinciæ litibus ſcatent.

Marcellinus vituperat Ægyptiorum genus controuerſum, & aſſuetudine perplexitatis litigandi lętiſſimũ

Cicero damnat Gentem Siculam, quod ad lites & iurgia ſit procliuis. Sed vt antiqua relinquamus.

De Hiſpania. Vaſquius eam ait ita litibus ſcatere, vt vix ſuperſint, qui agros colant, & patriam tueantur. Gueuarra de Vrbe Granatenſi Vagliadolit, ait in ea plures eſſe litigatores, quam Romæ Martyres.

De Gallia. Budæus, Hottomanus, Primandeus aiunt tertiam prope partem Galliæ artem tabulariam exercere, *Chicquanterie*. Imo affirmant quidam in vrbe vna Pariſienſi decem circiter hominum millia diſtringi & occupari in litibus exercendis. Vnde dicitur Vrbs Rabularia, & Regnum Rabularium.

Pitracus *Natio noſtra*, inquit, *litigioſior & contenſioſior eſt omni alia Europæa.*

Rebuffus & Contarenus atteſtantur quendam Procuratorem Pariſienſem pro cauſa 60. ſolidorum ſeptuageſies & vltra ad iudices appellaſſe.

De Italia omnium fere querela eſt. Lites in Curia Romana ſunt immortales inquit Paulus de Caſtro. Romæ nihil abſque litibus habetur. Ijs Curialium ventres impinguantur inquit Goldaſtus. Et in Curiæ Romanæ rota, lites rotant.

Apud Venetos magna hodie Iuſtitiæ eluſio, & litium confuſio. Etſi olim, quæ lis ſolui non poſſe videbatur, Venetias mittenda dicebatur.

De Britannia communis verſus.

Gallia dat vites, nutrit Britannia lites.

De Polonia. Auctor conſilij de recuperandâ Poloniæ pace ponit hæc mala interna Religionis, diſſidium, rei familiaris auarum ſtudium, publicæ ſupinum neglectum, veritatis odium, Hippocryſeos ſtudium, iuſtitiæ deprauationem, iniuſtitiæ palliationem.

De Germania. Dici iam non poteſt, quod in ea plus valeant boni mores, quam alibi bonæ leges, vt olim Tacitus. Dicunt *Spiræ lites ſpirare, numquam exſpirare, litigantes diu ſperare, numquam adſpirare.* Ibi lites ſunt viuaces, ſuperant cornicularum & ceruorum ætates.

Bodinus pleraſque ibi lites ait vltra centeſimum annum durauiſſe. Conqueruntur alij, quod vt minimum centum durent annis.

Signum

Signum hoc perituræ Reip. Nam tarde Iuſtitiam adminiſtrare, & plane non adminiſtrare idem veteres iudicabant.

Referri de ſingulis Prouincijs non poteſt.

Felix Æthiopia, quæ lites nullas habet, vt ait Franciſcus Aluarez. Feliciſſimæ Indiæ Gentes, quæ nec lites habent, nec forum, vt Petrus Tholoſanus: quia Indi non ſunt litigioſi, neque commiſſo, neque depoſiti iura vlla habent, nec teſtibus indigent, neque ſygillis, ſed ſimpliciter credunt.

Cum autem tantum ſit litium malum, ideo excitare illas viri boni numquam voluerunt.

Eurip. *Sapiens cauet, ne litem amico fabricet.*

Cum Socrati quidam improbus calcem impegiſſet, & ſuaderent amici, vt in ius vocaret, *quid ſi me*, inquit, *Aſinus percuſſiſſet, num in ius vocarem?*

Cum Catoni maiori Lentulus in os conſpuiſſet, *Nemo*, inquit, *iam negabit me os habere*, id eſt, nihil pudoris aut honoris.

Pulchro exemplo declarauit Plinius vel apud illum Murianus. Duæ capræ ſibi occurrerant è diuerſo in Ponte, & cum propter anguſtias tranſire non poſſent, vna decubuit, & altera ſupra illã proſtratam tranſiuit.

Vinci ſæpe præſtat, quam litigare; Martialis

Lis te bis decimæ numerantem frigora Brumæ
Conterit vna tribus Gargiliane foris.

Ach

Ach miſer & demens viginti litigat annos,
Quiſquam, cum vinci Gargiliane licet.

Cato optabat forum muricibus ſterni, ſiue ferramentis acuminatis, vt eo ire, vel ibi ſtare litigantes non poſſent. Idem optauit Budæus de Baſilica Pariſienſi.

Eſte procul lites, & amaræ præmia linguæ, Ouid. Sunt tamen homines aliqui natura litigioſi. Olim litigioſiſſimus fuit Hyperbolus, vnde Prou. *Vltra Hyperbolũ*

Parnus cum omnibus obuijs ob amiſſam nauiculam litigabat, vnde Prou. *Ob Parni ſcaphulam.* Res minimas.

Euriſthenes & Procles hæredum hæredes litigantes reliquerunt.

Anus Ptolemais, apud Suidam, non prius lites deſeruit, quam animam efflauit.

Multi ſunt, qui ne ad horam viuere ſine contentione poſſunt. Vt Bodinus & Tholoſanus aiunt.

Interim virorum bonorum eſt lites execrari; imo inter 12. mundi abuſus ponitur Chriſtianus litigioſus. Vt ait idem Tholoſ.

Monſtrum, horrendum, ingens, variabile lites
——— vires acquirit eundo.

Hic dicitur *Iure Duce, Comite pecunia.*

Si Aduocato des 10. florenos; habere debebit procurator 6 Notarius. 4. Sollicitator. 2. Officialis. 1. Sportulæ deinde, acta currum Replentia &c.

Prouerb. Italicũ *Litiget, ædificet, qui vult cito pauper haberi.*

Multi

Multi litigantes ad extremam paupertatem redacti ſunt.

Hæredes miſeri relicti, qui propter imperitiam victi. Longa in litibus expectatio. Secundum Accurſium *Melius eſt vnum, tene tene, quam centum cape, cape*, ſcilicet per litigium.

Hodierna oua ſunt craſtinis pullis meliora, Gloſ. in L. Cum hi de tranſact.

Æris alieni & litis comes eſt miſeria cum aceto. Quid litigare? Ant. Mar. Spelt. P. Greg. Tholo. Lib. 47. Synt. Eſt occaſionem dare ori ſuſpirandi, oculo plangendi, linguæ querulandi, menti ſe affligendi, pedibus ſe inquietandi, famulis imperandi, marſupio ſe exenterandi. Inde in noſocomium deferri, & deſperarè mori.

Litigans ſubiectus eſt pœnis infinitis,
Viuus in purgatorio fit ciuis in ciuitate Ditis.

Somnium de Aduocatis, eſt denunciatio anxietatis.

Lites, quidam dicunt eſſe, quartum Dei flagellum diuitibus applicandum, qui peſtem facile fugiunt, fame aliorum diteſcunt, bello triumphant, ſed per lites redduntur pauperes.

Ludouicus XII. Galliæ Rex laudabat eius Aruſpicis reſponſum, qui conſulenti cuidam, quid maxime prodeſſet oculis? Reſpondit, *Nunquam aut rariſſime Aduocatos videre.*

De Tollendis Litibus.

Porro Principum eſt maxime curare, vt lites abbreuientur, minuantur, tollantur, quarum immortalitas maximum eſt Reip. detrimentum. Nam per eas ciuiũ ſtatus & potentia diminuitur, odia & diſſenſiones excitantur, omnia in maximas anguſtias reducuntur. Ex Ciuium ruina exitium pendet Reip.

Iſocrates Regem Cypri Nicoclem monebat, vt eas ferret leges, quæ vel nullius litis haberent ſeminarium, vel exortas controuerſias ſtatim dirimerent.

Cicero laudat SeruiumSulpitium, quod ſemper maluerit litium anfractus tollere, nec actiones ad eas conſtituere.

Laudatus Pompeus quod legem tulerit, de ineunda ratione lites cito componendi & ſopiendi.

I. Cæſari idcirco propoſitum fuit legum copiam reſecare & lites retundere. Suet. Idem de Aug. Claudio, Galba.

Domitianus edixit, vt perpetuo exilio Romæ multaretur qui litem vltra annum protraxiſſet.

Veſpaſianus ſummam operam dedit, vt celeriter lites expedirentur. Potiſſimum vero Alexand. Seuerus, de cuius iuſtitia nemo vnquam eſt conqueſtus.

Titus prohibuit de eadem re pluribus legibus agi, vt lites abbreuiarentur.

Valentinianus & Iulianus Apoſtata multas legum ambages correxerunt.

Traianus omnem anſam litium tollere ſaluberrimis legibus conatus eſt. Plinius in Paneg.

Ad Marc. Antonij Pij arbitrum multi Reges & Populi poſitis armis confugiebant. Tantę iuſtitię erat.

Solus Caligula delectabatur alere lites, & quadrageſimam ſummam de qua litigabatur, vectigalis nomine accipiebat.

Carolus. Cum de litibus plurimę querelæ deferrentur, declarabat nihil ſibi gratius futurum, quam ſi quis modum cito lites definiendi inueniret, & ad hoc ſuam auctoritatem promittebat. Id ipſum commendauit filio ſuo Philippo II.

Philippus II. Scripſit ad Senatum Mediolanenſem ſummum ſibi & officium & ſeruitium fieri, ſi quis formam breuiorem proponat expediendi lites.

Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ non modo remedium quæri voluit, ſed etiam auxilium præbere ad tantam litium materiam ex Rep. profligandam, vt teſtatur Anton. Faber.

Vt cito lites deciderentur, Henricus II. Franc. Rex fieri curauit peculiarem in Regno ſuo Codicem Henricianum.

De remedijs.

Exiſtimant aliqui impoſſibile eſſe, vt infinitis & immortalibus horum temporum litibus remedium efficax adhibeatur; optant tantum, vt vel repugnan-

tibus ipſis litigatoribus effici poſſet, vt ſpatijs breuioribus lites concluderentur. Iam enim hoc malum inualuiſſe, nec magis euelli poſſe, quam arbores, quæ antea virgæ fuerunt.

Alij nonnulli contra rationem fieri dicunt, ſi lites diminuantur, cum hac ratione futurum eſſet, vt Reip. gubernatio damnoſa eſſet infinitæ hominum multitudini, quæ circa lites occupatur.

Quod quid aliud eſt dicere, quam optandos eſſe in Rep. morbos, vt Medici lucrum faciant?

Fatendum quidem admodum difficile & arduum eſſe remedium huic malo tale adhibere, vt radicitus exſtirpetur, non eſt tamen impoſſibile. Et hinc Antimachus litium nimis fœcundam fruticationem & peruicacem luxuriam compeſci omnino poſſe. Vnde Valen. Borgias, vt eſt apud Machiavel. de Prin. c. 14 morti proximus in lectulo dicebat ſe aduerſus omnia pericula, quæ ſibi euenire poſſent, multo ante remedia quæſiuiſſe, præterquam aduerſus mortem.

Quare ſi tolli omnino lites non poſſint, poſſunt ſane præcaueri, idque legum coërcitione; atque adeo ad impediendas lites neceſſariæ ſunt leges, vt dicebat Lycurgus; niſi quod, vt ille ait apud Plautum, ſæpe cautor cautus eſt; vbi hæc cautio, ibi alia captio, vbi lex inuenta, ibi fraus legis inuenitur, & ita li-

tes in infinitum protrahuntur. *De varijs hodie remedijs differemus.*

Apud nonnullas olim Gentes litium abbreuiandarum remedium fuit *Monomachia ſeu Duellum*, vt nimirum armis lites finirentur. Hoc de Moſchouia refert Bodinus Lib. 4. de Rep.

Thomas Smith tres modos ponit in Anglia per conſuetudinem, Comitijs Parlamentarijs, duello, Iuridicis conuentibus.

Fronto Rex Daniæ legem tulit, vt armis lites finirentur.

Sueno Rex lites non Iudicio prudentum ſed robori Athletarum commiſit. Vſitatus hic modus maxime inter Nobiles & Principes. Dauid & Goliad. Artaxerces & Cyrus. Menelaus & Paris, Horatij & Curiatij. Edmundus Ang. & Canutus Dan. Reges. Hunduigus Saxoniæ, & Roheus Daniæ Reges. Carolus IX. Suecjæ, & Chriſtianus Dan. Reges.

Etiam pro nuptijs.

Rationes. Quod euentus armorum ſit æquus Judex. Quod minor ſit jactura maxime inter populos.

Fredericus Primus in Leg. Caſtrenſibus voluit militem litigioſum prodire in Lorica, ſcuto, galea, & tantum fuſtem portare ad litem dirimendam.

Sed hoc remedium violentum, & Medicina aſperior

rior malo eſt. *Nemo Ius ſibi dicere poteſt.*

Deinde fortuitum, ſæpe enim vincitur, cuius cauſa iuſtiſſima eſt. Hinc ſublatum Iure Canonico, item legibus Neapolitanis & ſtatutis Hiſpanorum.

Ethicum & Morale remedium eſt Patientia: ſi fieri poſſet, adhibenda. Eſt velut aqua igni infuſa, patientia iniuriæ.

Symmachus. Dura quidem commotio eſt, quam gignit iniuria, ſed mollior delet dolorem Medicina patientia.

Iſidorus. Contra linguæ gladium, præbe patientiæ ſcutum. *Patience par force.*

Veteres tria ad vitam regendam neceſſaria dixerunt, Prudentiam, amicitiam, patientiam. Oculus vitæ prudentia, Sal vitæ amicitia, baculus vitæ patientia.

Effuſione ſalis, portendi litem & amicitiæ diſſolutionem refert Stuck Lib. 1. Ant.

Sed quanquam *Nobile vincendi genus eſt patientia*: tamen, vt ait Duro, *patientia herba multis mortem adfert, nec in omni creſcit horto.*

Aliud Remedium Concordia. Vt nimirum litigaturi non prius ad tribunal admittantur, quam rem controuerſam componere inter ſe vel prudentis viri iudicio tentarint. Quia vtilior eſt macra concordia, quam pinguis ſententia. *Nec eſt*, ait Gueuarra, *viri ſapientis fortunæ arbitrio committere, quod per concordiam componi.*

poni poteſt. Rationes. Sumptus litis. Iactura temporis, moleſtiæ. Iuramentum, calumniæ, diſſidia, dubius euentus.

Facile initio componere. *Nam*, vt ait Fronto, *lis naſcitur, pertinacia efficit controuerſiam*.

Algothus II. Sueonum & Gothorũ Rex ſtatuit vt omnes controuerſiæ prius ad arbitriũ virorum optimorũ qui in diſſidentium territorio inueniebantur, componerentur, quam ad aliquod iudicium deueniretur. Ioannes Magnus Lib. 8 c. 38. Exiſtimabat ſæpe ſummum Ius ſummam eſſe iniuriam, niſi bonorum virorum arbitrio præueniatur.

Statutum Patauinum eſt, ne coniuncti vel affines in controuerſijs Iudices alios adeant, quam arbitros, coram quibus vadimonio citati, ex ęquo & bono res terminetur. M. Antonius Blancus I. C. Patauinus.

Operæ autem pretium eſt conſtitutos aliquos eſſe publicos litium Compoſitores, quos adire teneantur litigantes. Quia plerumque ea arrogantia eſt, vt neutra pars petere concordiam velit; & ſæpe ſuper Arbitrorum nominatione controuerſia exoriretur. Sint illi etiam in omnibus inſtantijs.

Archidamus Rex Lacedæm. duos ex amicis ſuis litigantes in templum conuocatos rogauit, ecquem ſuarum litium arbitrum capere vellent, cum ipſum nominaſſent, *Vos, igitur*, inquit, *Veto hinc diſcedere quoad in amicitiam redeatis*.

Olim

Olim ſtatutis Romanis *Paceri* duo adhibebantur, qui poterant aſſumere tertium.

Tale ſtatutum viget in multis Italiæ Ciuitatibus vt refert Fulgoſius. Itẽ conſtitutionibus Gallicis diſtricte obſeruari iubetur, vt habet Anton. Faber Lib. 9. Cod.

Remedium aliquando eſt Sors, nimirum oportuna circa diuiſiones, vbi exoritur lis. Quo remedio lites etiam ſeſſionum honeſtius tollerentur, quam taxillis, vt quidam Legatus exiſtimabat.

Remedium etiam eſt, vt cum Patroni cauſarum lites nutriant quadam multitudine Commentariorum, & nulla lis ſit tam iniuſta, quam defendere per Iuris myſteria non poſſint, abrogandum videtur Ius illud ſubtilius, & quod verum eſt, ad fori rationem accommodandum. Tam multis editis commentarijs nulla lis eſt tam ſcabioſa, quæ non in vtramque partem poſſit diſputari.

Quis hodie Aduocatorum cauſam vllam iniuſtam reijcit?

Galeacius Mediolanenſium Dux cum aliquoties audiuiſſet de vafro quodam Cauſidico, qui lites ſerere & ſatas producere alereque etiam in liquido iure poſſet, hominem ad ſe accerſitum ita affatur. *Debeo Paſtori meo centum aureos, ſoluere non lubet; tu ecquid tueri me in iure, & rem protollere potes?* Annuit ipſe largiter. Tum Dux fraudis prius increpitum laqueo publice iuſſit necari.

Om-

Omnino multa in Iure ſupervacanea ſunt, vt de Magiſtratibus antiquis & eorum officijs, de forma iudiciorum antiquorum, de mancipijs, manumiſſionibus, libertis, libertinis, & alia, quæ à litterarijs petenda. Huc accedunt infinitæ Gloſſæ, lecturæ, fallentiæ regularum, practicæ, Gemmæ, Syluæ, ſummæ, formulæ, clauſulæ, cautelæ, methodi, commentarij, loci communes, analyſes, variæ lectiones illuſtres, quæſtiones, deciſiones, reſolutiones, lucubrationes, enucleationes, conciliationes, paratitla, ſynopſes, lexica, repertoria, exercitia, miſcellanea, collectanea, ſyntagmata, apoteleſmata &c. & infinita eiuſdem farinæ ſcripta, quæ Iuriſprudentiam ſuſpectam, dubiam, & litium genitricem faciunt. De quibus dici poſſet, quod Metrocles Maronita, Cratelis Thebani auditor, qui libros ſuos comburendo dicebat eſſe imaginacula ſomniorum, hoc eſt, nugas & deliramenta.

Prou. *Nimium alterando veritas amittitur.*

Ius itaque in artem redigendum eſt, omiſſis ſuperuacaneis. Sicut pueri argentum viuum collecturi diſſipant, ita Interpretes ſubtiliter diſtribuendo veritatem diſſipant.

Inhærendum textui. Lycurgus prohibuit ne de legibus ſemel receptis diſputare liceret. Gloſſa nauis eſt, qua nauigamus per immenſum Iuris Pelagus, & quæ

nos ducit in portum veritatis.

Remedium etiam eſt diminutio numeri Aduocatorum & Procuratorum. Hi enim, vt viuant lites faciunt lucri mancipia, replent ſua Marſupia.

Ferdinandus Hiſpaniæ Rex prohibuit, ne vlli cauſidici in Indiam Orientalem ducerentur, ne litium ſemina ſecum portarent.

Apud Polonos rariſſimè admittuntur.

Matthias Coruinus illos ex Hungaria expulit, vbi olim ſine Iuriſperitis viuebant, non tamen ſine Iure. Nam ex antiquis Moribus, & paucis quibuſdam legibus omnes ſuas controuerſias componebant. Venerant autem illi cum Beatrice Ferdinandi Regis Neapolitani Filia, ac breui tempore effecerant, vt vbi nullæ erant antea lites, ibi omnia litibus feruerent cuius rei per Nobiles admonitus Rex, illos expulit.
Hodie tam multi Iuuenes & ſine experientia. Cõfuſores ſane litium, qui in ipſo portu litium impingũt ſimiles Nauigantibus Athenas, qui 1. anno Sapientes, 2. Philoſophi, 3. Rhetores, 4. nihil ſciebant, vt Meridanus ait.

Cruda ingenia & ſtudia impelluntur in forum. Hi ſunt comptuli illi Iuuenes, de quibus dicitur,

Vir bene veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus
Creditur à mille, quamuis idiota ſit ille,
Si careat veſte, nec ſit veſtitus honeſte,
Nullius eſt laudis, quamuis ſciat omne quod audis.

Certe plus valet vmbra ſenis, quam gladius & eloquentia Iuuenis.

Procuratores Plato vocat accipitres pecuniæ, & mures aliena rodentes. Bartholus Canes Curiarum & deuoratores; Seneca venale genus clamoſi rabioſa fori iurgia vendens. Apuleius togatos vultures, forenſia pecora, Lipſius Coruos fori.

Poſtea ſunt Notarij litium Protelatores & ebuccinatores. In Camera Imperiali ſunt 916. immatriculati, quorum vix aliqui officio ſuo digni.

Aduocatorum & Medicorum tres ſunt facies, Angeli tempore neceſſitatis. Hominis remiſſius agente morbo vel lite, Cacodæmonis finita lite, vel reſtituta ſanitate.

Remedium etiam optimum eſt lex Cincia, vt eſt apud Tacitum, Lib. 11. quæ prohibebat pro cauſis agendis pecuniam aut donum accipere.

Lucro etiam ſapientia capitur, inquit *Pindarus*.

Conſtitui illis ſalarium de publico deberet: ita fieret, vt cito lites expedirent, nec litigantes excuterent, nec lites ita dilatarent, & proferrent.

Ludouicus XII. Gal. Rex *Decebat eos ſutoris officium impudenter ſibi vendicare*. Nam quod Sutoris eſt proprium dentibus Alutam producere, hoc ipſi faciunt in dilatandis prudentium reſponſis & Cæſarum legibus.

Alia Remedia vide in Inſtitutionibus noſtris Lib. 3 Tit. 4. de Iudicijs N. 9.

De iuramento ſemper proponendo, & non omittenda in expenſas condemnatione. Et vt litigantes cogantur deponere vim aliquam pecuniæ, quam victus amittat, victor recipiat.

Puniantur qui falſum expoſuiſſe deprehendentur.

Certi ſint in Rep. Aduocati, qui pauperibus patrocinentur.

Tollantur tot dilationes.

Summa ſeueritate vitia prohibeantur potiſſimum Ebrietas, Calumnia, nimia audacia.

Nimia etiam licentia appellandi.



SYMBOLVM

C. VALERII LICINII IMP.

Peſtis Reipublicæ Litteræ.

C. Val. Licinivs patre ruſtico natus, inter ruſticos educatus, ruſticis & barbaris moribus, vixit in Dacio inter agricolas cum aratro & ſarculis, indeque litterarũ & omnium bonarum Artium hoſtis acerrimus fuit, cumque maxima eſſet eius inſcitia litteras peſtem Reip. & viros doctos, potiſſimum Rhetores & Philoſophos, virus & venenum Reip. appellabat.

Quid mirum cum ita litterarum expers eſſet, vt ſubſcribere decretis nomen ſuum non poſſet?

Bene vulgò *Artes non habent hoſtes, niſi ignorantes.*

Et Ariſtoteles ait, *Litterarum expertem etiam videntem non videre.*

Hoc igitur Symbolum cum improbare hodie ſtatuerimus ita agemus, vt eorum primo rationes perpendamus, qui ad Remp. adminiſtrandam nihil litteras prodeſſe, vel obeſſe putant, tum contra eos pro litteris dicemus.

Rationes contra Litteras.

1. Docti volunt eſſe ſapientiores legibus. His accidit quod noctius, media in luce caligant.

Traianus extra rei Militaris ſcientiam, indoctus, & tamen quantus Imperator? Qui omnia ex conſilio Senatus agebat, & viros doctos amabat. Nero exactiſſimus & tamen ſceleratiſſimus. De illo Auſonius in Gratiarum Actione ad Gratianum.

Neronis indolem non erudijt Seneca, ſed armauit ſæuitiam. Hinc Bodinus Lib. 3. de Rep. c. 1. *Summa litterarum cognitio Principibus ſæpe pernitioſa extitit, niſi bene à natura, melius etiam à virtutibus instructi & informati eſſent*; Quia nihil tam in Principe metuendum, quam multa rerum abditarum cognitio, cum ſcelere coniuncta.

Adducitur auctoritas huius Imp.

Item Lud. XI. Gal. Regis. Qui Carolum VIII. nulla alia verba latina ſcire volebat niſi, *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare*.

Gothi negabant litteras diſcendas ijs, qui inter haſtas & enſes verſari aliquando deberent.

Exempla Tiberi, Claudij, Galieni,

Princeps fert gladium, non Togam. Non dicitur doctus, eloquens, &c. ſed bellicoſus, fortis, inuictus, bonus eques, &c.

Hinc Pyrrhus rogatus cui Filiorum regnũ relinqueret, *ei*, inquit, *cuius gladius melius ſcindet*. Plut. in Pyr.

Hungariæ Rex olim, vbi inauguratus turrim conſcendebat, & gladio in omnes partes vibrabato, declarabat ſe omnes partes ferro defenſurum.

Vide-

Videtur quædam Sympathia inter Reges, & arma.

Paulus Diaconus Lib. 1. c. 15. Agelmon I. Rex Longobardorum cum intellexiſſet, quandam meretricẽ 7. filios peperiſſe, & in aquas abieciſſe, accurrit, & cum extenderet lanceam in aquas, vbi adhuc mouebantur, vnus ferrum lanceæ arripuit, & extractus ita ex aquis eſt, quem militarem fore Rex dixit, enutrijt illum, & poſtea factus eſt Rex, dictus eſt Lamiſſio.

Pictor quidam Venetus petebat ſemel à Mahomete Turcarum Imp. quomodo pingi vellet, in equo inquit, & manu ad enſem admota.

Legati cum 1. ad Magnum Turcam deducuntur illos vtrimque duo Baſſæ ſuſtentatis brachijs ducunt, ipſum reperiunt, qui circa ſe habet gladium incuruum, ſcutum vnum, & vnam clauam. Vt oſtendat hoc eſſe fulcrum ſui Imperij.

Cum Temires Rex Tartarorum inter alia dona miſiſſet Baiazeti veſtem, propter hanc grauiter offenſus fuit; & non potius gladium, vel arma aliqua.

Rationes pro Litteris.

Quem plura ac meliora ſcire oportet, quam Magiſtratum, cuius doctrina omnibus ſubiectis eſt profutura? Vegetius in Prou. Lib. 1.

Lex naturam requirit, vt melioribus & potentioribus deteriora ſubmittantur. Seneca.

In do-

Indocti ſimiles ſunt ſtatuis & coloſſis, exterius pulchri, interius pleni plumbo, lapide, aranearum telis.

Auget doctrina maieſtatis decus, & illuſtrior eſt purpura, quæ hoc ornamento non caret.

Per hanc Princeps ſuorum conſilia intelligit, de rebus dubijs certius & felicius ſtatuit, quandam experientiam etiam ante ætatem acquirit.

Si Regi corpus ſine oculo non poteſt, nec Reſp. ſine eruditione.

Quantacunque virtus eſt à natura, perfici doctrina debet.

Robertus Siciliæ Rex ait, *ſunt iudicia, & ſtudia, & voluntates variæ, at ego iuro dulciores & multo chariores eſſe mihi litteras, quam Regnum. Et ſi alterutro carendum ſit, regno malim, quam litteris carere.*

Quidam.

Res valet, ars præſtat, ſi res perit, ars mihi reſtat,
Ars manet, ars durat: fortuna recedere curat,
Plus probo theſaurum docti, quam diuitis aurum.

Rectè Socrates apud Xenoph. *Generoſum & omni fauore dignum ingenium eſt, cui ſunt cordi diſciplinæ Politicæ.*

Alphonſus. Item Franciſ. I. Rex Gall. *Rex indoctus eſt Aſinus coronatus*, ſed hoc I. Traianus.

Dionyſius Iunior Regno expulſus hoc ſibi dicebat Philoſophiæ ſtudium profuiſſe, quod iſtam fortunæ mutationem æquo animo ferret. Corinthi Scholam aperuerat. Plutar.

Philip-

Philippus Alex. filium hortabatur vt diligenter Ariſtoteli Philoſopho operam daret, ne multa omittas, quæ me feciſſe nunc pœnitet.

Carolum V. magnitudo rerum & Imperij ſtatim adhuc tenerum à ſtudijs abduxit, etſi amorem illorum & reuerentiam non excuſſit. Cum Oratorem aliquem Genuæ latinè dicentem non ſatis intelligeret, *Do*, inquit, *puerilis iniuriæ pœnas, præſagus Adrianus præceptor meus fuit, qui hanc mihi pœnitentiam prædixit.*

Eſt omnino Imperij ars maxima, inquit Chryſoſtomus, *quam artem ſine doctrina non potes exercere.*

Iuuat doctrina non ad vitam tantum inſtituendam, ſed etiam ad conſiliorum directionem.

Hinc Demetrius Phalereus Ptolomæum Regem hortabatur, vt libros de Regno ſcriptos emeret legeretque. Nam de quibus amici Reges admonere non audent, ea in libris eſſe ſcripta. Stob. Serm. 46.

Alph. Arago. Rex dicebat, *Optimos Conſiliarios eſſe mortuos, à quibus omnia ſine metu, ſine gratia, quæ noſcere cuperet, fideliter & candide diſcere poſſet.* Panormitanus Lib. 3. de rebus geſtis Alph.

Intellexit Alphonſus Senior Calebriæ Dux, qui nunquam ſine libris in expeditionem proficiſcebatur, ex quibus dicebat ſe melius virorum præſtantium virtutes diſcere, quam ex multis magiſtris. Pontanus Lib. de Principe.

Maximil. I. Imp. *Turpe eſt Principi neſcire litteras*. Iouius. *Homo ſine litteris aſinus bipes.*

Doctrina eſt laudis fundamentum, fons veræ felicitatis; & vt laurus perpetuo viret,ita eruditionis fama non marceſcit.

Principem non ſplendor ſuæ fortunæ, non veſtes aureæ,aut ornatus crinium & equorum propria pompa tantum honeſtabit, quantum ipſarum decor litterarum, & fama virtutum.

Vladiſlaus Hungariæ & Bohemiæ Rex dicebat, *ſibi non videri homines, qui litteras ignorarent.*

Magna ingenia, inquit Plato Lib. 6. de Rep. *niſi recte inſtituta & imbuta litteris fuerint, quæ mores emolliunt, tanto deteriora euadunt, quanto illis maiores igniculi extiterint.* Magna enim ſcelera non ex vili natura ſed generoſo ingenio educatione corrupto proficiſcuntur.

Apud Perſas nemini regnare licebat , niſi familiariter cum magis verſatus eſſet, & eorum eſſet doctrina imbutus. Philoſ.

Filijs Regum Perſarum 4. erant Præceptores teſte Platone 1.ſapientiſſimus,2.temperantiſſimus 3. iuſtiſſimus, vt Regem exerceret in cauſis agendis & ſententijs ferendis, 4. fortiſſimus, qui inſtrueret in bellis.

Apud Ægyptios Regij pueri artes magicas tanquam ſtudia ſanctiora diſcebat. Alex. ab Alexand. Lib. 2.

Romani

Romani cum Imperator aliquando quæreretur, *quis* acclamarunt, *melius quam litteratus imperaret?* Vopiſcus in Tacito.

Carolus M. Legatos Græcos intelligebat, & Latinam linguam proſa carmineque callebat. Inter cœnandum lectorem audiebat, & antiquorum Regum geſta teſte Eguinharto in vita eius.

Otto II. Imp. captus aliquando à Pyratis beneficio Græcæ & Latinæ linguæ incognitus euaſit.

Fredericus II. præter Germanicam, & Italicam didicit Latinam, Græcam, Saracenicam, Francicam & in ſingulis Philoſophiæ partibus verſatiſſimus fuit Cuſp. in eius vita.


Maximil. II. Hiſpanos, Italos, Gallos, Belgas, Bohemos, Pannones, & Latinè loquentes intellexit, & ſingulorum linguas, perinde ac ſi natiuæ eſſent, calluit.

Quamuis autem mali extiterint aliquando improbique Principes litterati, nihil inde refert. Nam vt ait Cominæus, *Doctrina vel meliores reddit homines vel deteriores; pro cuiuſque natura vel conditione;* Sed tamen veriſimilius eſt aliquem eâ fieri meliorem. Nam quo quiſque magis quid ſe deceat, intelligit, eo vehementius ipſum neglecti pudet officij, & etiamſi non omnino ſibi temperet à maleficio, tamen ne plane modum excedat, cauet.

Ludouicus XI. voluit filium ſuum Carolum nihil ſcire ne conſiliis ſuorum eſſe refractior, & tenacior ſui ſenſus; illum Reges duo treſve homunculi triobolares huc illuc pro ſuo arbitrio circumegerunt, cum non leui ſubditorum indignatione & damno.

Mahumetes II. hiſtorias omnium gentium illuſtrium ſibi verti in linguam Turcicam curauit, vt inde hauſtis militiæ Præceptis, actionum ſuarum diſciplinam exemplorum varietate confirmaret.

Secutus eius veſtigia Baiazetis filius hiſtorias amauit.



SYM-

SYMBOLVM
C. GALERII VALERII MAXIMIANI.

Tutum Silentij Præmium.

HOc Symbolum deſumptum eſt ex Stobæo ſerm. 33. vbi hæc Sententia Athenodori eſt, *Tutum ſilentij præmium.* Illam ita Horatius expreſſit.

Eſt & fideli tuta ſilentio Merces.

Demoſthenes, *Quam tutum eſt ſilere?*

Carcinus Silentium appellat *Remedium multorum malorum.*

Valerius Max. *Optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum Taciturnitas.*

Apud omnes, magnæ Sapientiæ argumentum eſt Silentium tempeſtiuum, quod omni eſt ſermone præſtantius; & cum vbique culpa vacat, tum verò maximè in aliorum conuitijs neſcio quid egregium Socraticum ac potius Herculeum præ ſe fert Auctore Plutarcho. Contra autem Tyrannicum quiddam eſt multa ſcire aut velle loqui ſecundum Æſchylum; idemque Stultitiæ & impudentiæ argumentum certiſſimum plerumque cum magno dedecore & damno coniunctum.

Hodie, vt hoc Symbolum explicemus de ſilentij vtilitate dicendum, quæ non in multis tantum vitæ partibus eſt, ſed in omni prorſus vita.

Cato Romanus.

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam,
Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.

Omnino igitur, *Plura decet ſapientem tacere, quam loqui.*

Silentium apud ſapientes orationis eſt loco; hæc reprehendi poteſt, illud non.

Dicam amplius, plurimum cogitare, minimum loqui, ſumma operari, ſapientis eſt; & cum Princeps ſapientiſſimus eſſe dèbeat, Principis eſt.

Quamobrem cogitare? Quia homini, vt ait Varro, tribuitur cogitatio, Deo ſcientia. Cogitationis autem vis eſt ex ſenſu, qui norunt tantum veriſimilia, & incerta. In incertis dubijſque ſilentium eſt prudentiæ.

Dignus omni gloria eſt, qui hæc tria Socratis præcepta tenet, *Vt Mentem eius prudentia honeſtet, voluntatem iuſtitia, linguam ſilentium.*

Magna ars eſt dicendi, ſed ſilendi multo maxima; ſunt quippe mortales eloquentiæ, ſuperi ſilentij magiſtri. Non eſt eloquens qui multum, ſed qui appoſitè dicit.

Hæc effigies proponitur *Aquila per iuga montium*

volans

volans clauſo roſtro cum his verbis. *Non ſine ſilentio.* Hoc inſigne ſapit taciturnitatis Regiæ dignitatem. Nam Aquila traijciens Armeniæ montes, ne Anſeribus, qui ibi ſunt plurimi, ſit terrori, volat ſine clangore, & ſic prædam ex difficili reddit facilem.

Cum ſilentium quiddam ſit immortale, Antiquitas ſilentij Magiſtrum non hominem, ſed Deum fecit. Hinc olim in omnibus templis, in quibus colebatur Iſis & Serapis, ſimulachrum ſpectabatur Silentij digito labris impreſſo. Hæc erat apud Ægyptios Harpocratis effigies, qua notabant Principi ſua arcana, ne foras prodirent, in intimis præcordijs eſſe arcenda.

Sane non prodeſt in conſilio dando prudentia, niſi in occultando ſit fides.

Ouidius de Arte Amandi Lib. 2.

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus,
At contra grauis eſt culpa, tacenda loqui.

Maxime vero in Regum conſilijs.

Hinc apud Perſas nemo conſiliorum conſcius præter optimates taciturnos & fidos, qui etiam ſilentij Deum colebant, imo veteri eorum diſciplina arcana Regum vitæ periculo cuſtodiri ſanxerunt. *Am. Marcellinus Lib. 21.*

Apud Ægyptios lex ei iubebat linguam abſcindi, qui Reip. conſilia detexiſſet. Diodorus Sic. 2. c. 2.

Apud

Apud Romanos vero Conſiliorum renunciatores aut viui exurebantur, aut furca ſuſpendebantur, Paulus L. ſi quis ff. de pœnis.

Quin imo Valerius Lib. 2. c. 2. teſtatur Curiam in tanto numero Senatorum ſilentio ſic vndique clauſam fuiſſe, vt neminem audiſſe crederes quod tam multorum auribus fuerat commiſſum.

Venit aliquando Romam Rex Eumenes Aſiæ, in Senatu Perſem Macedoniæ Regem accuſauit, & de bello cum Patribus deliberauit. Hoc exinde tantum ſciri potuit, Regem in Curia fuiſſe, quid ibi actum eſſet, prius confecto bello ſcitum eſt.

Bene Curtius Lib. 4. *Res magnæ ſuſtineri ab eo non poſſunt, cui tacere graue eſt.*

Nam, vt Iſocr. ad Demonicum, *Diligentius tuenda ſunt depoſita verborum, quam pecuniarum.*

Secundum illud Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.*

Notum exemplum Papyrij pueri. Notum etiam Pompei apud Gentium Regem, vbi digitum lucernæ ardenti cremandum præbere maluit, quam Senatus Conſilia prodere.

Romæ Conſus Deus ſub terra in circo colebatur vt quoniam ſuo numine regere conſilia credebatur, ex loci conditione intelligeretur, occulta eſſe ea debere.

Eſt conſtitutio Cameræ Spirenſis in Senatu geſta, dicta,

dicta, iudicata æterno ſilentio tegunto, nihil iniuſſu Cæſaris reuelanto.

Reſp. Veneta ne res in Senatu propoſitæ palam fierent S. C. cauit, vt Senatores ſingulis menſibus conuenirent die tamen & hora non limitatis. Dux determinat.

Coſmus Mediceus Magnus Hetruriæ Dux ſciſcitanti cuidam, qua potiſſimum ratione dignitatem obtentam tueri poſſet? *Splendore*, inquit, *veſtimentorum & pauci loquentia.* Hæc duo auctoritatem conciliant.

Notum eſt exemplum Metelli Pij, Interrogatus in Hiſpania, quid poſtera die facturus eſſet, *Tunicam meam, ſi id eloqui poſſet, comburerem.*

Idem reſpondit Petrus Aragonius Legatis Pontificis, cum ſollicite quærerent cur inſtructa claſſe Africæ littora circumiret.

Quippè, vt eſt abiecti animi mentiri & fallere, ita ſuſcepta conſilia regere non poſſe eſt anguſti pectoris.

Vegetius Lib. 3. de re Milit. *Nulla conſilia meliora ſunt, quam illa, quæ ignorauerit aduerſarius antequam facias.*

Hinc Amilcar litteras dabat Ducibus ſigillatas cum mandato eas non aperiendi ante talem diem, niſi naues tempeſtate diſpergerentur. Cum ab Archelao Rege tonſor admodũ loquax componens lintea ſubinde rogaret quomodo vellet tonderi ſeu radi. *Silendo,*

inquit, Demaratus Rex Laced. rogatus in conſeſſu an ex ſtultitia, vel ſermonis inopia ſileret? ait *Stultus tacere non poteſt.*

Antigonus Philippo filio petenti coram alijs *Quando caſtra mouebimus?* ait *num metuis me ſolus tubam non audias?*

Principis animus aut nemini aut paucis cognitus eſſe debet, vt dicebat, Tiberius.

Et Alexander Magnus oſtendens litteras matris Epheſtiani, ijs lectis annulum digito detraxit, & ſigillum ori eius admouit, dicens, *Contine hæc, & ne quid eorum effutias.*

Magna etiam in omni vita vtilitas.

Menander. *Plerosque lingua funditus peſſum dedit.*

Nam vt Horatius: — *Neſcit vox miſſa reuerti.*

Quo fit vt multis ſæpe redeant verba per iugulum, vt ait Plinius. Horatius in Epiſt.

Sic tacitus paſci ſi poſſet coruus haberet,
Plus dapis & rixæ multo minus, inuidiæq́;
Cum ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.
— *Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.*

ait Simonides, vel Xenocrates ſecundum Valerium.

D. Hieronymus in Epiſtolis. *Diu conſidera, quid loquendum ſit, & adhuc tacens prouide, ne quid dixiſſe pœniteat.*

Spintatus cumulatiſſime laudat Epaminondam di-

cendo

cendo ſe minime vidiſſe, qui plura ſciret, & pauciora loqueretur.

Ex hoc Antiquitas, indicem digitum appellauit cognomento *Salutarem*, quod ori admotus ſilentium imperet.

Phalereus, *Obſigna ſilentio verba, ſilentium autem occaſione.*

Iſocrates ad Demonicum. *Duo loquendi tempora conſtitue, alterum de rebus tibi plane cognitis, alterum de ijs, quæ neceſſario ſunt dicenda.* In his enim ſolis præſtat ſilentio oratio; in alijs tacere ſatius eſt, quam loqui.

Quidam alius dixit, *Duobus locis impune aliquem loqui poſſe, vel cum ſibi, vel cum veritati obfuturum eſt ſilentium.*

Rectè ergo Ambroſius in officijs, *Silendi patientia & loquendi oportunitas, duo ſunt maxima virtutum fundamenta.*

Vide aduerſaria noſtra in Emblema XI. Alciati.

SYMBOLVM
FREDERICI. I. ÆNOBARBI IMPERATORIS.

Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare.

EXperientia huic Symbolo cauſam dedit. Quis enim neſcit neminem omnia poſſe pro ſuo iure facere, & multa diſſimulanda eſſe? Id cum in omni vita ſit neceſſarium, tum in Imperio maxime. Vnde fit, vt veriſſimum ſit, *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.*

Tiberius Imper. nullam ex virtutibus magis diligebat teſte Tacito, quam Diſſimulationem.

Fit enim vt multa plerumque Principes ſimulare inuiti aut diſſimulare cum dolore cogantur, ne aut videant ea, quæ vident, aut ne audiant, quæ audiunt, ſed in multis nolentes volentes conniueant, niſi fruſtra niti, & nullo ſuo cum fructu aliorum odium quærere malint, quod extremæ dementiæ eſſe ſcribit Saluſtius.

Non quod Principi non liceat tueri candorem & veritatem, atque ab omni mendacio fallaciaque abhorrere, ſed ne cum multa aduerſantur in Imperio, multa etiam per vim agat, quorum fortaſſis eum poſtea pigeat, pudeat, pœniteat.

Nihil violentum, diuturnum, teſte Demoſthene; *& regere*

patriam

patriam importunum eſt, ſecundum Saluſtium. Eſt quidem difficile, vt Poëta ait, *abſcondere pectoris æſtus*, tamen ſecundum Publium.

Etiam obliuiſci quod ſcis interdum expedit.

Quoties nimirum conniuendum eſt, aut ignoſcendum alijs. Princeps enim qui vult omnia ſcire multa ignoſcat neceſſe eſt.

Sed vt ad rem veniamus.

Diſſimulare nihil aliud eſt, quam temporibus quandoque ſeruire & hominum moribus ſeſe accommodare. An liceat.

Omnino, inquit Cicero, *Temporibus parere omnes Politici præcipiunt.*

Et Seneca docet Sapientem non ſemper ire vno gradu, ſed vna via, nec ſe in aliquibus mutare, ſed potius aptare.

Et vero cum debeant Reip. Adminiſtratores in tanta hominum multitudine ac varietate viuere, neceſſario præparare ſe, & aptare hominum genio temporiq; debent, & ea in re prudentes nautas imitari, qui omni ſe ventorum mutationi accommodant. Quin imo magnę Artis eſt in tot hominum tantiſque vitijs inſidias vitare, & ſeſe ad tantam morum, ſermonum, voluntatũ varietatẽ accommodatũ ſemper præbere.

Nemo negabit, vtiliſſimum eſſe in vtramque partem quando vſus venit eloqui poſſe vultumque fingere, vt res quæque poſtulare videtur.

Cum vero probanda ſit ſimulatio multis in occaſionibus, tum ea vti circa Religionem non decet.

Diſſimulare inprimis Religionem ſuam Reip. adminiſtratores non debent.

Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt; qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.*

Princeps, eſt regula morum, Religionis quaſi Prototypum. Religio rectus de Deo ſenſus, & rectus in Deum cultus. Mori præſtat, quam eam relinquere.

Regnat aliquando Hyppocrita, *Sed permittit Deus regnare hyppocritam, propter peccata Populi.* Iob. 34.

Regibus Perſarum ignis præferebatur, & in eorum morte per totã Patriã extinguebatur. Diod. Sic Lib. 17.

Romani ignem ante thronum Imp. conſtituebant, teſte Herodoto in Commodo. Quia lumen omnibus eſſe debent Reges, quibus nimis vile eſſet, ſuam auctoritatem ad eos ritus inflectere, quos rectos non credũt.

2. *In contractibus diſſimulare non oportet.* Quia vt ait Liuius. *Vult ſibi quiſque credi*, adeoque hic ſincere, & candide agendum eſt, cumque detur fides, nunquam vlla ſimulatione ea violanda eſt.

Contractus claudicare non debent. L. Labeo, in §. contractum, ff. de Verb. Sign.

Quod ſemel placuit diſplicere non poteſt.

Nec

Nec vlla hic excuſatio. Nam quando aliquid prohibetur fieri directè, prohibetur & obliquum L. ſi Sponſus ff. de donat. inter vir & vxor.

Fraus diſtingit, non diſſoluit periurium. Cic. 3. Offic.

3. *Diſsimulare cum malis non oportet.* Intereſt enim Reip. delicta puniri L. ita vulneratus. ff. ad L. Aquiliam.

Ideo olim ſecures & faſces ante Magiſtratus.

Qui non vetat peccare cum poſsit iubet. Sen. Med.

Dio in Nerua. *Malum quidem eſt Principem habere ſub quo nihil vlli liceat, peius vero cum ſub quo omnia omnibus.*

Scrip. S. 3. Regum. *Quia dereliquiſti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus pro populo illius.*

Hinc in bello non in pœnis diſſimulandum.

Val. Max. Lib. 2. c. 7. *Aſpero & abſciſſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget, quia vires armis conſtant, quæ vbi à recto tenore deſciuerint oppreſſura ſunt, niſi opprimantur.*

Facilibus Ducibus milites delectari videntur, ſed eoſdem contemnunt; Solent autē auſteros auerſari, ſed ijſdem obediunt, & per omnia parent. Appianus.

Quintius Conſul apud Liuium *Vellem equidem vobis placere Quirites, ſed multo magis malo vos ſaluos eſſe, qualicunque erga me animo futuri ſitis.*

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur. Ouidius.

Sicu-

Simulatio Romuli in raptu Sabinarum, fraus fuit. Item cum Hanno putauit ſpecie nuptiarum filiæ veneno omnes Senatores Carthaginenſes occidere.

Item cum Artaxerxes finxit velle ſe loricam ſuam cum Artabani lorica mutare, vt illum occideret.

Itē factū illud, quo procuratū vt Darij equus hinniret.

Principes diſſimulare inprimis debent ſuos defectus. Bene equidem nati ſunt & educati, tamen obnoxij perturbationibus & affectionibus.

Rara tamen mendâ facies caret, occule mendas,
Quodque potes vitium corporis abde tui. Ouidius.

Solutè viuentes deſpicabiles fiunt & multas oportunitates præbent inſidiantibus. Ariſt. 5. Polit. 10.

Si vox eſt, canta; ſi mollia brachia, ſalta,
Et quacumque potes dote placere, place. Ouidius.

Non aggrediatur ea, ad quæ capax non eſt, diſſimulet, hic virtutem ſuam. Ouidius ſuggerit paruæ mulieri.

Parua ſedens maneas, ne ſtans videare ſedere.

Cum diminuitur Principis nomen, vileſcit eius auctoritas, vt patet in Xerxe, poſt cladem à Græcis acceptam.

Imo etiam Princeps diſſimulando quæ in ſe habet, ſcire debet proponere tanquam magna.

Liuius Lib. 26. de Scipione. Fuit Scipio nō veris tantum virtutibus mirabilis, ſed arte quoque quadam ab iuuentâ in oſtentationem earū compoſitus. Exemplo

Merca-

mercatorum, qui non tantum pretioſa habent ſed etiam exprimere ſciunt.

Deinde diſsimulare in omnibus Publicis Negotijs, & tempori ſeruire, ſalua tamen reuerentia & Maieſtate virtutis.

Thomas Morus in Vtopia tales Conſiliarios requirit, qui quando vſus poſtulat ſciant mentem circumagere. Neque enim eſt ſagacis viri cum periculo velis remiſque portum petere, quem commoda velificationes potes aſſequi. Prudens nauclerus cum mare procellis & tempeſtatibus eſt commotum potius obliquis curſibus periculum vitat, quam naufragium certum ſubeat. Ita in Rep. ſi non poſſit adminiſtrator vitia radicitus tollere, aut ex animi ſententia ijs mederi non propterea deſerenda Reſp. eſt, ſed obliquo conatu conandum eſt, vt quantum fieri poteſt commode omnia tractentur, vt quod in bonum verti non poteſt, ſaltem fiat quam minime malum.

Adminiſtratores Reip. ſunt tanquam ſcenicæ perſonæ, vbique apta ſimulatione vti debent; at vero vbi perſonam depoſuerunt, tollere etiam oportet ſimulationem in tegumenta.

Talis fuit Agricola, teſte Tacito, vbi conuentus & iudicia poſtulabant; grauis, intentus, ſeuerus; vbi officio ſatisfactum, nulla vltra poteſtatis perſona.

Monuit Horatius, *Miſce ſtultitiam Conſilijs breuem,*

Dulce eſt deſipere in loco.

Kk Fran-

Franciſcus Soderinus Cardinalis dicebat, Aulicos debere duabus ſellis ſedere, in illa tanta Aularum varietate. Id omnino probandum modo virtus ſincere in animo retineatur.

Cicero prudens diſſimulator fuit. Teſte Paterculo amabat partes Pompeianas, Cęſarem tamen laudandũ cenſebat, quod aliud diceret, aliud intelligi vellet.

Talis etiam L. Sylla, cuius ad ſimulanda negotia altitudo ingenij incredibilis fuit. Saluſtius in Iug. 2.

Talis Solon, qui vt Reip. amplius prodeſſet, & vita tutior eſſet, furere ſe ſimulauit.

M. Cato talis, & omnino verſatilis ingenij, quocunque loco natus eſſet fortunam ſibi ipſi facturus videretur. Liuius.

Alcibiades omnium ſe moribus accommodabat, Ælianus, Plutarchus, Æmilius Probus &c.

Exemplum omnibus eſt Vlyſſes teſte Cicerone in officijs, in illo errore diuturno cum & mulieribus inſeruiret, & in omni ſermone omnibus affabilem & iucundum ſe eſſe vellet? Domi vero etiam contumelias ſeruorum ancillarumque pertulit, vt ad id aliquando quod cupiebat, perueniret.

De Dauide ſcriptura ſacra teſtatur. De Beato Ephrem Soſoſemus. De beato Angario (Krantius) qui fuit Legatus ad Ludouicum Germaniæ Regem; & cui oneroſum commeſſationibus diuturnis pro more

gentis

gentis intereſſe, ſuſtinebat tamen, ne Regem & Proceres contemnere videretur.

Sic Seneca, *Sapiens etiam ea faciet, quæ non probabit, vt etiam ad maiora tranſitum inueniat; nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit; & quibus alij vtuntur, in gloriam & voluptatem, vtetur agendæ rei cauſâ.*

Diſſimulare etiam oportet cum offenſus eſt Princeps, vel alius quicunque nec vlciſci ſe poteſt, quaſi iniuriam ſibi factam non videret aut ſentiret. Maxime ſi alibi negotium habeat, ſi paratus non ſit

Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria. Seneca.

Sic Sabini in raptu virginum diſſimulauerunt *Nec oſtenderunt bellum priuſquam intulerunt.* Alijs *obuius cum exercitu Romulus cuique certamine docet vanam ſine viribus iram.* Liuius Lib. 1.

Egeſippus. In ipſis agreſtibus feris arctiſſima vincula ſi ſe excitent, imprimuntur; ſi quieſcant relaxantur.

Filum debiliori parte rumpitur Guicardinus.

— Caueat male dicere pauper, Ouidius.
Multaque diuitibus non patienda ferat.

Seneca. *Sapiens nunquam potentium iras prouocat, imo declinat, non aliter quam in nauigando procellam.*

Hannibal tranſiens per Gallias, etſi offenderetur, diſſimulauit, quia tendebat in Italiam. *Moram magis quam bellum metuens.* Liuius Lib. 21.

Diſſimulandum aliquando in coniurationibus &c.

Solum ſæpe inſidiarum remedium eſt, ſi non intelligantur. Tacit. Lib. 14. An.

Profeſſa perdunt odia vindictæ locum. Sen. Med.

Periculum eſt oſtendere Ciuitati quanto plures mali ſunt. Sen. de Clem. 13.

Securitati Conſules antequam vindictæ. Tacitus Lib. 11.

Res monet cauere ab illis magis, quam quod in illos ſtatuas conſultare. Saluſt. in Catil.

Cum Hanno ſtatuiſſet in nuptijs filiæ omnes Senatores Carthaginenſes occidere, ſcelus declinatum, non vindicatum eſt, ne in viro tam potenti plus negotij faceret res cognita, quam cogitata. Iuſt. Lib. 21 Ideóque ſatis habuerunt publica lege ordinare ſumptus nuptiales, vt ſic obuiam irent conatibus eius.

Etheocles Lacedemonius cum intelligeret ſeditionem inter milites, qui ſtatuerant omnes hoſpites ſuos occidere & ſignum erat, Arundo, quam ferebant. Vnum cum ea inuentum occidit, & ferre prohibuit. Sic ſopita eſt.

Diſſimulandum cum populo. Cic. Lib. 1. Ep. 9. Cum populum perſuaderi poſſe diffidimus, cogi fas eſſe non arbitremur.

Claud.

—— Peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit.

Idem.

Idem.

Cautior ante tamen violentum nauita lorum.
Proſpicit, & tumidæ ſubducit vela procellæ.

Omni populo ineſt malignum quiddam & querulum in imperantes. Plutar.

Eſt non modo liberale paululum nonnumquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum Cic. 2. Off.

Diſsimulandum in Rebus aduerſis. Senec. ad Poli. Duces Rebus afflictis hilaritatem de induſtria ſimulant, & aduerſas res adumbrata lætitia abſcundunt, ne militum animi ſi fractam ducis ſui mentem viderint, & ipſi collabantur.

Alex. M. nunquam lætior quam cum pignandum cum Dario Cur. Lib. 4. Haud alias tam alacrem viderant Regem & vultu eius interitu certam ſpem victoriæ augurabantur.

RODOLPHI I. IMPERAT.

Melius bene imperare, quam Imperium ampliare.

BOni Principis eſt videre, *non quam latè, ſed quam bene*. Eius ratio hoc Symbolum eſt, *Quia melius eſt bene imperare, quam imperium ampliare*. Adeoq́ue non tam vi & poteſtate, quam prudentia & ſapientia opus eſt in imperio. *Prudentia ſiquidem gubernantur regna, quorum fines potentia nonnunquam proferuntur latius*, vt frequenter Rodolphus I. dicebat. Inde hoc eius Symbolū.

Vtrum vero melius bene imperare, an imperium ampliare? Innatum eſt Principibus Regna extendere, & rectè Th. Morus.

Regibus ex multis regnum cui ſufficit vnum
Vix Rex vnus erit.
Regibus ex multis regnum bene qui regat vnum
Vix tamen vnus erit.

Cor hominis vnus accipiter non ſatiat: eius cupiditatibus, nec totus orbis ſufficit. Ant. Perez.

Plurimi omnino exiſtimant Principes debere quauis ratione imperium ſuum ampliare. Eorum author

eſt

eſt Machiauellus Lib. de Principe c. 3.

Cum natura, inquit, *Regnandi cupiditate nunquam ſatietur, nulli vitio ſed potius laudi dandum eſt, quouis modo ſiue per pellem leoninam, ſiue vulpinam ditiones amplificare.* In eo tantum dicit vitium eſſe, ſi quis ea affectet, quæ conſequi ſuis viribus non poſſit.

Hyppolitus à Collibus in Princip. cap. 34. ſcribit ſe duo media propagandi reperire *Noſtra augendo, & aliena attrahendo.*

Olim Lacedæmonij, Cretenſes, Perſæ, Thraces aliæque nationes ad bellum ſuos ciues ideo inſtruebant, vt finitimos inuaderent, ſuaque confinia aliarum Gentium damnis ſpolijſque augerent & onerarent. Boterus Lib. 8. cap. 6.

Qui ita ſapiunt vtilitatem ab honeſtate diſcernunt.

Grauis illa vox Papiniani in L. 15. de Condit. Inſtit. *Poſſe id demum quemque dicimus, quod iure dignitateque & honeſtate ſalua poteſt.*

Docent omnes ſapientes vtilitatem ab honeſtate ſeiungi non debere.

Abacuc Propheta c. 2. *Væ qui multiplicant non ſua; væ qui ſpoliant gentes multas; væ qui congregant auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius; væ qui ædificant ciuitatem in ſanguinibus, & præparant vrbem in iniquitate, venient enim dies quibus afflictionem ſuſtinebunt; & manus Domini ſuper eos erit, niſi ad dominum conuertantur & aliena reſtituant.*

Ariſt.

Ariſt. 7. Polit. c. 2. *In amplificandis Imperijs & necandis finitimis beatitudinem ciuitatis nequaquam conſiſtere* ait. Vnde ad illum locum rectè I. Caſus. *Eo animo inuadere, vt ſolum auctior fiat dominatio, eſt publicum quaſi latrocinium & homicidium profiteri.*

Alexandrum M. idcirco terrarum Orbis prædonem appellant.

Et hinc pirata Demetrius coram eo accuſatus illi dicebat, *Præter pyraticam nihil didici, nec quicquam de paterna hæreditate præter duos Myoparones accepi. Tu vero Alexander, qui in me Pyraticam improbas cum exercitu potentiſſimo terra marique impune latrocinaris, tametſi à patre Regnum Macedoniæ florentiſſimum acceperis.* Placuit ea oratio Alexandro, qui ſtatim Demetrium legioni vni præfecit. Bodinus Lib. 1. de Rep.

Augu. Cæſar cum Alexandri M. res in oriente geſtas legeret admiratus fuit, Alexandrum non magis cogitaſſe qua ratione viaque parta regna conſeruaret & adminiſtraret, quam qua via partis alia adijceret. Suet. in vita Auguſti.

Dicit Poëta. *Nō minor eſt virtus, quam querere parta tueri.* Sed Claudianus,

Plus eſt ſeruaſſe repertum quam quæſiuiſſe nouum.

Pulchrum eſt Regnum ſibi iuſtitia comparauiſſe; pulchrum etiam eſt iuſtitiam regno prætuliſſe. Plutarchus in vita Hunæ. Pub.

Hoc

Hoc reſpondit aliquando conſultus Ageſilaus, *Reip. bene conſtitutæ fines non gladijs, ſed iuſtitia terminantur.* Plutarchus in eius vita.

Rectè Hannibal ad Scipionem. *Optimum fuerat eam patribus noſtris mentem datã à Dijs eſſe, vt vos Italiæ, nos Africæ imperio contenti eſſemus.* Patrit. Lib. 9. de Inſtit. Reip. c. 1.

Pompeius M. Phraati Parthorum Regi per Legatos poſtulanti, vt Euphratem Romanæ ditionis terminum eſſe vellet, *Imo*, inquit, *illud magis poſtulandum, eſt vt Romanorum fines à Parthorum regno iuſtitia diſcernat.*

Imo nihil anguſtum, quod ſorte ſua contentum eſt. Et vt ait Valerius Max. Lib. 4. c. 1. *Potentia tuta eſt, quæ viribus imponit modum.*

Quia, vt Scipio Amirat. 1. diſc. 6. Nimia magnitudo ſuis ipſa viribus fatiſcit. Quarundam etiam Rerump. conditio non fert, vt extendatur.

Quin ſæpe Principes inhiantes alienis amittunt propria. Hinc Saxo Grammaticus. Sæpe amborum captator, vtriuſque perditor fuit. Præualidum enim oportet alitẽ eſſe, qui prędam alijs vnguibus extrahere cupiat.

Princeps quidam Tartarorum captũ Moſcum non neceſſarium bellum mouentem interfici curauit, & ex eius caluaria fieri poculum inauratum, & cum hac inſcriptione. *Hic appetendo aliena amiſit propria.*

Poſt obitum Conſtantini Magni diuiſum eſt Imperium inter filios. Conſtantinus partes occidentales, *Euſeb. in vita Conſtantini. Nicephorus.*

 Con-

Conſtantius orientales, Conſtans interiectas habuit. Conſtantius ea diuiſione non contentus Conſtanti fratri bellum intulit, vt eum de imperio deijceret, iamque perueniat Aquileiam, ibi congreſſus cum copijs Conſtantis amiſſo exercitu confoditur.

Erasf. Chil. 3. Cen. 5. Adag. 8. Cameli per Oratorem cornua à Ioue poſtularunt, ille indigna poſtulatione offenſus, etiam aures eis reſecuit. Hinc Adagium *Camelus deſiderans cornua, etiam aures amiſit.*

Canis Æſopicus cum carnis, quam fauce vehebat, vmbram in aqua captaret, perdidit, quod in faucibus erat.

Aſtute Terentianus ille Sannio *Ego ſpem pretio nõ emo.*

Cyrus nõ contentus Regno ampliſſimo Aſiam ſubegit, tandem ſcythis bellum intulit, & infeliciter pugnans cum exercitu cæſus eſt.

Chilon Philoſophus interrogatus, quanam re gubernator bonus & malus internoſcerentur, *Nihil*, inquit, *eſt, quod virum bonum aut malum magis prodat, quam id de quo contendunt. Tyrannus enim rapiendo aliena immoritur; at ſpectatæ virtutis Princeps pro ſuo defendendo laborat.*

Iuſtinus Lib. 1. Fines imperij tueri magis quam proferre mos erat; intra ſuam cuique Patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum veterem & auitum gentibus morem noua imperij cupiditate

piditate mutauit.

Hodie non ita. Imo nec olim ſemper. Antigonus Rex cuidam Sophiſtæ librum de Iuſtitia conſcriptum offerenti, *Tu*, inquit, *Deſipis, qui cum me videas armis alienas vrbes vexare, tamen apud me de iuſtitia diſſeris.*

Nec tantum hoc. Sed etiam quacunque conditione Reges regna accipiunt, vt fines ſuos amplificent.

Ferdinandus Rex Catholicus, cum diceretur ei quod eſſet indecens iuramentum Luſitanorum, quo in inauguratione aſſeuerabant *Nos tam buenos, como vos* reſpondit, non grauate ſe aliud adhuc ſimile Regnum accepturum, & omnino eodem iuramento.

Romani quidem antiqui ſolemni prece poſtulabant Imperij amplificationem, ſed Scipio ſuo tempore dicebat non amplius pro augenda, ſed conſeruanda Rep. vota ſuſcipienda eſſe.

Oraculum eſt quod vulgo dicunt, *Qui ad cuncta adſpirat, eum nullius rei potiri.*

Sapiens eſt & felix, quicunque cupiditatibus ſuis modum, & felici fortunæ frænum imponere non ignorat.

Habuit Carolus V. Franciſcum I. Galliæ Regem in cuſtodia: dum de eo liberando agitur, variæ conſultationes fuerunt, quibus conditionibus dimitteretur. Suadebant aliqui, & proponebant clementiæ & magnanimitatis laudem; ſed dum quæſita eſt vtilitas & à

benignitate fortunæ amplificatio imperij, ſecuta eſt multiplicatio moleſtiarum, odiorum, bellorum immortalium, &c.

Inter Conſilia Auguſti Cæſ. illud præclariſſimum *Coërcendi intra terminos Imperij*. Tacitus Lib. 1.

Veneta Reſp. non aliam ob cauſam ſedente Iulio II. Pont. libertatē pene amiſit, quia ad Imperium totius Italię adſpirabat, id animaduertentibus Italię Principibus, qui iſto fœdere contra conſpirauerūt. Agant Deo gratias, quod Pontificem pœnituerit Remp. illam euerſum iri. Aliqui in eius Senatu Prouidentiores dicebant totam Italiam iam ęgris oculis aſpicere eorum magnitudinem, ſequuturas inde vexationes moleſtas.

Carolus V. nihil profecit contra Barbaros, vbi potuiſſet, quia in occidente rapere aliena & dominatum ſibi omnium arrogare volebat.

Hiſp. Rex Phil. II. cum Belgium recuperare patrimonium ſuum, & Luſitaniam ad ſe aliquo pacto pertinentem vindicare voluit, nemo ſe oppoſuit, at vbi Angliam inuadere voluit omnes hoſtes ſenſit.

Romani id fecerunt. Sed non defuerunt in Senatu qui dicerent Cæſarem Gallis tradendum eſſe. Item Aſiam Reip. detrimento deuictam fuiſſe.

SYM-

SYMBOLVM

M. AVRELII CARINI.

Cedendum Multitudini.

T*Vrba turbulenta eſt*, inquit M. Terent. Varro apud Gellium Lib. 13. Atticarum Noct.

Quippè quæ per ſe corpus eſt ſine pectore, cuius ſpiritus & cor vitale eſt Rex, ſine quo plane eſt excors adeoque bellua multorum capitum, vt loquitur Flaccus.

Et Euripides in Iphigenia τὸ πολὺ δεινὸν κακόν. Multitudo magnum malum. Præſertim ſi aut cum malitia aut imperitia aliquid agat.

Ea imperante, teſte Herodoto, *fieri non poteſt, quin exoriatur malitia.*

Eurip. in Hecuba. *Res turba turbulenta inuicta cum dolo.*

Herodotus. *Turba imperita nullum maius eſt malum.* Et quid mirum, cum vt ait Pindarus. *Cæcam habeat mentem mortalium pars maxima.*

Conſilium non eſt in vulgo, ait Cic. pro Planco, *non ratio, non diſcrimen, non diligentia.*

Ideo Menander, *Robuſta res eſt turba, mente ſed caret.*

Ideo non delectu aliquo aut ſapientia ducitur, ad iudicandum, ſed impetu & quadam temeritate.

Propterea Sapientes dicunt non laudanda illa quæ populus facit, ſed ferenda.

Phocylides,

Ne populo fides, populus mutatur in horas.

Seneca. *Vulgus veritatis peſſimus interpres.*

Et Lib. de beata vita. *Argumentum peſſimi turba eſt.*

Liuius. *Nihil tam incertum, & tam inæſtimabile eſt quam animi multitudinis.*

Megabyzus apud Herodotum, *Vulgo inutili nihil eſt impudentius aut iniurioſius.* Dat rationem.

Nam ineſt vulgo, vt nihil intelligat.

Et quomodo intelligat, quod nec didicit, nec nouit per ſe honeſtum? quod ad res agendas ſine iudicio preceps fluminis inſtar torrentis ruit?

Et quidem quando libertate luxuriat nullum fretum tantos ciet motus. *Sæpenumero*, inquit Curtius, *Populus ad furorem vſque accenſus ipſum ignem vincere ſolet.* Sequitur voluntatem Ducem non rationem. Nihil difficilius, quam populo ſecundis rebus elato ac feroci frænum inijcere, quo eius petulantia & temeritas compeſcatur.

Seneca. *Male imperatur, cum regit vulgus Duces.*

Hæc cum ita ſe habeant, omnino vere dixit Imperator M. Aurelius Carinus.

Cedendum Multitudini.

At vero cedendum ne tam ſimpliciter & concedenda

denda victoria? Arte hic vtendum, ne cedere ſimpliciter videamur. Et inprimis cedere hic eſt quodammodo diſſimilare.

Fiat Princeps ſeu Reip. Adminiſtrator Popularis. Cōmune eſt omni populo, *patiſe vinci dexteritate aliqua potius, quam auctoritate.* Vnde Cicero Lib. 1. Epiſt. 9. *Cum populum perſuaderi poſſe diffidimus, cogi fas eſſe non arbitremur.*

Si quid petetur, & multitudo conſurgat, recuſet, tumultuetur; Cedendum, diſſimulandum, expectandum. Nautæ vela contrahunt in tempeſtate non illi ſe opponunt.

Cautior ante tamen violentum nauita Corum Claud.
Proſpicit, & tumidæ ſubducit vela procellæ.
—— Peragit tranquilla poteſtas. Idem.
Quod violenta nequit.

Omni populo ineſt malignum quiddam & querulum in imperantes, inquit Plutarchus.

Minimus quiſque in ſua officina debacchatur in Principem, coram quo attollere oculos non auderet. Prudentis non eſt propterea iraſci. Murmuret populus modo tandem, rationi obediat: illi obedire, niſi prius murmuret, non poteſt.

Luxata in corpore humano membra reponi ſuo loco non poſſunt ſine ſtrepitu & fragore.

Qui vult cogere & omnia habere à populo, nihilq; concedere, decipitur.

Modus reſiſtendi populo in magnis eſt, parua illi aliqua concedere. Vnde Cicer. 2. Offic.

Eſt non modo liberale paulum nonnumquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.

Mortuo Romulo cum Senatus animaduerteret, populum habere Regis Electionem velle, vltro obtulit. Populus vinci à Senatu iſta humanitate non voluit, ei electionem reliquit. Vnde Liuius Lib. 1.

Cum ſenſiſſent ea moueri patres, offerendum vltro rati, quod amiſſuri erant, ita gratiam ineunt &c.

Eodem modo cum Senatus animaduerteret plebem nolle amplius ſuo ſumptu militare, ante decreuit ex publico in poſterum ſolutionem, ne coacta gratia & liberalitas videretur.

Sic Dux Burgundiæ cum Gandauum intraret, videretque tumultuantem populum, vltro, quicquid petebat conceſſit, & varia priuilegia dedit.

Dextre agendum eſt cum populo, & cum in furore eſt, placandus eſt.

Seruilius teſte Liuio Lib. 2. *Lenibus remediis aptior, tutius ac facilius eſſe putabat concitatos animos flecti, quam frangi.* Liuius Lib. 2.

Opponere ſe irritato populo eſt auctoritatem ſuam in diſcrimen adducere. Hinc Liuius 3.

Multum Conſules ſe abſtinebant ne cui in colluuione rerum maieſtatem ſuam contumeliæ offerrent.

Aliquan-

AliquandoConſules cum ſe tantæ tempeſtati obtuliſſent, facilè experti ſunt, parum tutam ſine viribus Maieſtatem eſſe, violatis lictoribus, faſcibus fractis è foro in curiam propelluntur.

Magna arte ceſſit aliquando multitudini P. Valerius. Senſerat venire ſe in ſuſpicionem affectati Regni propter ædes in Monte Tarpeio extructas, quid egit? Inprimis, ſubmiſit faſces & ſecures populo; deinde increpato populo quod tam parum ſuis meritis tribueret, quæ continuare ſe velle dicebat, dirui ædes curauit; inde dictus Poplicola.

Non ſolum vero Principes, ſed & eorum miniſtri ſcire debent agere cum populo; & quidem non exaſperando eius animos, ſed lenibus remedijs flectendo. Tales, qui id poſſint, quærendi. *Plebs magis laſciuit, quam ſæuit.*

Ceſſit multitudini Claudius Cæſar, etſi ad crudelitatem propendens. Propter difficultatem annonæ detentus à turba in foro fuit, conuitijs & fragminibus panis petitus, tandem ægre in palatium per poſticum euaſit. Quid deinde? Ne quidem iratus fuit, & quamprimum commeatus etiam hiberno tempore aduehi curauit, magno etiam ſuo damno.

Sunt quædam vitia, quæ non ex rabie in Principem, ſed ex impatientia procedunt, vel ex iuſto dolore, aut alijs cauſis, quibus humana fragilitas vix, ac

ne vix quidem poſſit reſiſtere. Ideo ille ſe opponere non oportet.

Alius modus eſt, cedendo multitudini, ſuos illi erranti errores & eorum cauſas ob oculos ponere.

Ad hoc ſciendum eſt, quod quo homines ſunt ignorantiores, eo quoque ſunt fidentiores. Quod ideo fit, quia quid ſibi deſit neſcientes, nihil ſibi deeſſe putant. Cui rei conſonat ſententia, *Reſpiciens ad pauca facile deliberat.*

Quia eiuſmodi homines rationis ſunt incapaces, documentum illis eſt, ipſe rerum euentus, quem prudentes *ſtultorum magiſtrum appellant.*

Pericula res eſt rerum euentum expectare, ſapientis & Gubernatoris, cum populus errat errorem & eius cauſam ei, ante oculos ponere.

Conſuetudo, eſt; vt peccatum pœna comitetur, ſed pœnæ locus varijs de cauſis dari aliquando non poteſt; tunc ſaltem efficiendum vt pœnitentia ſequatur.

Sertorij milites obſtinatè pugnam petebant; ipſe inferiores futuros præſagiebat. Sed cedendũ erat multitudini. Mittit cohortem vnam; illa cedi incipit, mittit aliam, quæ iuuet. Tum oſtendit, quem exitum habiturus fuiſſet exercitus, ſi totum miſiſſet. Acquieuerunt.

Qui equos docent ne vmbras extimeſcant, ſolent

eos

eos ad rem illam ſiſtere, quæ timoris eſt cauſa, vt cernentes non eſſe periculum, aſſueſcant, non timere. Contrarium inſtitutum cum hominibus tenendum eſt, oportet ob oculos eis ponere illa mala, in quæ præcipites ruunt, vt illa cognoſcendo horreant.

Plebs Capuana pertæſa gubernationis Nobilium, totum Senatum trucidare volebat, Pacuuius Nobilis & Plebi gratus, ſuum errorem ita plebi oſtendit. Concluſit Senatores in Curia ipſis cõſentientibus. Tum populo dixit, iam liberum eſſe ſupplicium de illis ſumere; prius autem nouos eſſe cooptandos, quod neceſſarius omnino ſit aliquis Senatus. Miſſis in vrnam nominibus, ille euocatus eſt, cuius exciderat nomen, ibi omnes, improbum, ſceleratum, ſupplicio dignum clamant. Tum Pacuuius *video, quæ ſit de illo ſententia, eijcitur pro improbo, eligite ergo iam bonum & iuſtum.* Primo ſilentium; tum quidam cæteris audacior aliquem nominauit, mox pene omnes clamant ſe non noſſe, alij probra conijciunt, humilitatem, inopiam, pudendam artem, quæſtum &c. Id multò magis in 2. & 3. factum. Tandem dilabi inceperunt, & Senatum è cuſtodia dimitti, iuſſerunt. Ita conciliata plebs, numquam amplius de mutanda Rep. cogitauit.

In exercitu Valentis cum miles fureret, vetuit ipſe ne Centuriones vigilias obirent, & vt ſignum tubæ omitteretur, quo miles ad munia cietur. Ceperunt cuncti torpore, circumſpectare ſe attoniti, & id ipſum, quod nemo regeret pauentes, ſilentio, patientia, poſtremo precibus & lachrymis veniam quæſiuerunt.



SYM-

SYMBOLVM
FLA. LEONIS IVNIORIS.
Fide & Diffide.

APud Publium Syrum in Mimis legitur, *vtrumque vitium eſt nulli credere & omnibus.*

Seneca Ep. 3. Idem. *Vtrumque vitio eſt, & omnibus credere & nulli.*

Quare? Quia omnibus credere ſtultum eſt; nulli, inhumanum. Itaque videndum cui fidendum.

Fides maximum eſt vinculum bonis amicis, & credulitatis facilitas peſſima præſertim inimicis Liuius & Bernardum.

Ita amicum habeas, poſſe vt fieri inimicum putes.

Reſpondet ſententia Biantis. *Sic amandum tanquam ſis oſurus, ſic odio habendum tanquam ſis amaturus*, apud Diogenem Laërtium.

Multo magis tamen comprobari videtur. *Cum amico ita agendum eſſe, quaſi hoſtis nunquam fieri poſſit: & ita habendum inimicum ceu mox amicus fieri debeat.*

Quia vt dicit Euripides, *nō eſt amicus hic qui ſemper nō amat.*

Biantis ſententiam refutat Ariſtoteles in Rhet. & Cic. pro Lælio in perſona Scipionis.

Porro cum omnino fidendum ſit in amicitia, tum in vita communi ſaluberrimum eſt documentum *Non temere fidere, ſed interdū diffidere, etiam amico, nedum inimico.*

Monet Theognis. *Paucis, è multis, fidus ineſt animus.*

Idem. *Fiſo res perijt, diffiſo ſalua remanſit.*

Hinc Demoſth. affirmat *vnam ſalutis & fortunarum cuſtodiam à natura datam eſſe diffidentiam; qua ſalua, ſalua ſunt omnia.*

Sophocles — *Prudente diffidentia.*
Nil melius aut vtilius eſt mortalibus.

M. Cicer. de petit. Conſul. *Neruos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere.* Ex Epicharmo.

Pythagoras monet. *Non cuiuis porrigendam eſſe dexteram.* Id eſt, nec cito ineundam amicitiam nec temere remittendam. Illud præcipitis, eſt, hoc inconſtantis.

Menander. *Credenda cunctis eſſe cuncta ne putes.*

Ouid. *Nec cito credideris, multum cito credere lædit.*
Cum quo congruit illud Sophoclis apud Plutarchum in Artaxerxe, *perſuaſio magnum ad malum ducit cita.*

Alcibiades rogatus an non fidem haberet Patriæ de ſe iudicaturæ, *Ego ſane*, inquit, *ne matri quidem, vereor enim ne inſcia nigrum calculum pro candido immittat.*

Apollonius percunctans Regi quanam ratione regnum ſuum adminiſtrare poſſit, *Si*, inquit, *paucis fidem habeas.*

Heſiodus. *Ne fratri quidem fidem habendam præcipit.*
Nam Ouid. *Fratrum quoque gratia rara eſt*
Fidere tot ſimul & diffidere perdit amicos.

Ouid. *Quos credis fidos effuge, tutus eris.*
Et teſte Chriſoſtomo Philoſophus recte ait. *Sic inter hoſtes viuendum, tanquam inter amicos; ſic inter amicos*

inquam

tanquam in medijs hoſtibus.

Cleobuli ſapientis de optimo Rege ſententia eſt, *Eum optimum eſſe Regem, qui nemini familiarium fidit.*

——— Ferme omnibus eſt mos.
Fallere, mentiri potius quam dicere verum.
Cuique placet, raros poteris reperire fideles.

Optabat rectè Momus, *vt homo Clathratum pectus haberet.*

Multi creduli nimium Reges perierunt, qui aſſentatoribus fidem habuerunt.

Carolus Canutus Gothorum Rex quod plus æquo ſuis crediſſet, Regno eiectus eſt. Cum fugere vellet ad Caſimirum Poloniæ Regem, interrogatus à quodam ſuorum nunquid neglexiſſet aliquid in terra. Suſpirans reſpondit, *Neglexi profecto ante multos annos te tuique ſimiles in patibulum ſuſpendere.*

Claudius Cæſar fidens vxoribus & libertis nō Principem ſed miniſtrum egit, & eorum libidini honores, exercitus, alia largitus eſt.

Chilpericus Franciæ Rex regno ſpoliatus dum nimium fidit Pipino Equitum Magiſtro, cui Regni adminiſtrationem commiſerat.

Galba, nulla cum laude geſſit imperium, quod ſuis nimium credens eorum arbitrio regi ſe permitteret.

Quia homines ita perfidioſi ſunt inter ſe, idcirco Maſſiniſſa hominum cuſtodia ſe abdicauit, & canum præſidio ſe commiſit.

Darius

Darius Perſarum Rex cum à Beſſo amico perfido multis vulneribus confoſſus eſſet, fugientibus miniſtris & ſatellitibus ſolus canis remanſit, nec mortuum deſerere voluit. Fidelior canis, quam Beſſus; aut miniſtri, qui ne verberibus quidem à Domino mortuo potuit amoueri.

Vtrum præſtat, fidere an diffidere.

Omnino ſapiente diffidentia non alia res vtilior mortalibus;tamen præſtat, fidere amplius,quam diffidere. Verum, *Fide ſed vide.*

Qui non fidit omnino ſemper eſt inquietus,omnia illi ſuſpecta ſunt; timet præſentes, abſentes, accedentes, recedentes.

Id vero moleſtiſſimum eſt Principibus, in tanta negotiorum multitudine viuentibus. Quibus opus eſſet habere ſpecularia, vt habebat Domitianus, vt etiam quæ à tergo ſunt, viderent. Timent etiam tonſores ſuos, vt Dion. Tyrannus.

Diffidentia ſignum eſt puſillanimitatis; & ſibi etiam diffidit, qui alijs non fidit. Se putat ingratum, nec amore dignum.

Si ſint apud Talem Principem miniſtri maligni & inuidioſi, quid non mali adferre alijs poſſunt?

Diffidētia cōtraria eſt amori,*qui diffidit amare nō poteſt.*

Seneca.Ep.3.*Multi fallere docuerunt dum timent falli.*

Idem. *Aditum nocendi perfido præſtat fides.*

SYM-

SYMBOLVM
CONSTANTINI MAGNI
Immedicabile vulnus enſe recidendum.

CONSTANTINVS MAGNVS IMP. ſummus proborum fautor, & improborum oſor fuit. Pro vtilitate Reip. labores nullos recuſabat; adeoq́ue ne proprijs quidem membris conſeruandæ tranquillitatis cauſa parcere voluiſſet; imo partem corporis reſcindere ſi remedium non admitteret; ſin contra fouere. In animaduertendo vſurpabat hanc Ouidij ſententiam 1. Metamorph.

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Vnde ſumptum eſt hoc eius Symbolum *Immedicabile vulnus enſe recidendum.* Quo ſignificabat improborum genus omne peſtiferum & impium ex hominum ſocietate exterminandum eſſe.

Hippocrates vetat. *Deſperatis morbis adhibere Medicinam.*

Cic. in Vatinium ſimilitudine rem oſtendit. Vt Medici membrum ſæpè putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare aut corrumpere poſſit; ſic neceſſe eſt, ſi Remp. ſaluam eſſe volumus, vt perditiſſimos homines ex vrbe

penitus extirpemus, ne corruptus integro, violatus caſto labem infringat.

Hæc ſimilitudo etiam Philippica 8. repetita eſt, & ab omnibus fere vſurpata.

Reip. adminiſtratores ſunt Reip. Medici. Medicos igitur imitari debent. Quod illi?

In ſanandis corporibus ea membra quæ putredine corrupta omnem Medicinam reſpuunt adhibito ferro amputant ne cætera membra inde inficiantur; Magiſtratus etiam eos, qui in Repub. omnibus ſunt dediti vitijs, & omnem admonitionem contemnunt ferro etiam, hoc eſt mortis ſupplicio, tollere debet, ne tanto malorum conſortio cæteri in peius ruant. Nam ſecundum Sophoclem.

Admurmurare carmina haud Medici eſt boni
Quando malum iam ſectionem flagitat.

Teſte Liuio. *Non poſſunt ſanari vulnera, niſi tacta & tractata.* Imo non ſine aliquo dolere.

VndeCato. *Vulnera dum ſanas dolore eſt Medicina doloris.*

Fatendum quidem eſt, quod nec Medicus, nec Reip. Adminiſtrator ferrum adhibere debeat niſi poſtulante extrema neceſſitate; hoc enim eſſet imperitiæ, imo iniuſtitiæ & crudelitatis. At vero vt ait Claudianus.

Vlcera poſſeſſis latè ſuffuſa medullis
Non leuiore manu, ferro ſanantur & igne.

Et

Et quemadmodum ſuppurato ſatius eſt vri, quam ita manere, ita improbo melius eſt mori, quam viuere.

Sed Ouidius, vt ſupra, *Cuncta prius tentanda &c.* Hanc ob cauſam Romanis Conſulibus præferebantur faſces; id eſt, virgæ cum ſecuribus colligatæ, vt ſignificarent hominum malitiam & improbitatem aut corrigendam eſſe, ſi ſanari poſſit, aut plane recidendam ſi nequeat emendari. *Virgæ corrigunt, ſecures recidunt.*

Omnino quidem magis probanda Medicina eſt, quæ vitioſas corporis partes ſanat, quam quæ exurit; & Magiſtratus animaduerſio, quę ciues improbos corrigit, quam quæ è medio tollit.

Ideo monet Flaccus — *Adſit*

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Ne ſcuticâ dignum horribili ſectere flagello.

Sed ſicut in Aſpidis ictu nullum eſt remedium, niſi vt partes contactæ amputentur, ita nonnulla ſunt vitia immedicabilia, & quæ ſola morte ſanari poſſunt.

Euripides. *Miſeratione digni ſunt homines probi,*
Non improbi, punire fas eſt improbos.

Imo, ait Demoſthenes, *Iuſtum eſt miſereri, non improborum hominum, ſed eorum, qui immerito infelices ſunt.* Sen. in Hyppolito.

Pectora magnis obſeſſa malis,
Non ſunt ictu ferienda leui.

Dixit quidam, inauditum vulnus inaudito cauterio extirpandum eſt.

Corrigi quidam omnino non poſſunt. Hinc Tullus Hoſtilius cum punire vellet Metium Suffetium proditorem. *Nunc quoniam inſanabile tuum ingenium eſt.* Liuius Lib. 1.

Accedit, quod vt dicit Mimus,

Bonis nocet, quiſquis pepercerit malis.

Vnius improbi ſupplicio cæterorum improbitas coercetur.

Non vlciſcendi cauſa, ſed deterrendi. Horat. Lib.

Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent ſimul à vitijs.

Pœna vnius, cæterorum eſt metus.

Vetere Pictores, vt Chriſippus Stoicus ſcripſit, & Gellius Lib. 14. c. 4. ſcitè & eleganter iuſtitiæ faciem pingebant; eam namque virginem faciebant, aſpectu ſeuero & formidabili, peracri oculorum acie, vultu verecundo, cum dignitate ac maieſtate ſine atrocitate.

Multitudinis conditio eſt, vt pareat potius neceſſitati, quam rationi, pœnis quam honeſtati: Coërcenda proinde animaduerſione & pœnis iumentorum inſtar.

Hinc Saluſtius in Iug. *Cenſet multo præſtare beneficij, quam maleficij immemorem eſſe: bonus tantum ſegnior fit, vbi negligas; at malus improbior.* Et Iſocrates. *Vbi nulla ſeuera iudicia exercentur etiam bona ingenia corrumpuntur.* In Areop.

Idem

Idem hic fit, quod in ſtrage, cum populus ſe premit, nemo ita cadit, vt non alium in ſe trahat; primi exitio ſequentibus ſunt. *In vita nemo ſibi tantum errat, ſed alieni erroris cauſa & author eſt. Seneca 1: de vita beata &c.*

Omnino igitur, *Immedicabile vulnus, enſe recidendum eſt ne pars ſincera trahatur.*

Agricolæ amputant, pampinos & ramos aliquos, ne vitibus & arboribus nocere poſſint.

Lex Platonis Lib. 9. de Legibus. *Ne impune quicquam cuiquam eſto, exilio, carcere, verberibus, infamia, ære, capite ſontes puniantur.*

S.Paulus de Magiſtratu. Rom. 13. *Non ſine cauſa gladium portat, miniſter enim Dei eſt.*

Prouerb. 20. *Rex qui ſedet in ſolio, iudicio diſſipat omne malum.*

Boeth. 4 de Conſ. Proſ. 4. *Feliciores ſunt improbi ſupplicia luentes, quam ſi eos nulla iuſtitiæ pœna coerceat.*

Ad Regem Achaz quia pepercerat Benadad Regi, quem necari iuſſerat Deus, dictum eſt. *Quia dimiſiſti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* 3. Regum.

Quia Saul contra præceptum Domini viuum conſeruauit Regem Agag, Regno priuatus eſt. 1. Regum.

Totilas Rex Gothorum, cum rogaretur, vt parceret cuidam, qui virginẽ inceſtauerat, reſpondit, *Eiuſdem*

ingenij eſſe delicto ſe obſtringere, & delictorum ſupplicia impedire. Omnino autem aut hunc pœnam dare, aut Gothorum Remp. interire neceſſe eſſe.

Lacedæmonij, quod impios ſtupratores filiarum Sedaſi non puniuerant, in ipſo commiſſi flagitij loco victi poſtea ſunt. Iſocrates.

Legatus Athenienſium cum miſſus eſſet Spartam vt leges ac inſtituta Rep. illius obſeruaret, domum vbi rediјt, funem, gladium, inſtrumenta tormentorum alia in Senatu depoſuit. *Hæc*, inquiens, *Spartanorum ſunt inſtituta, hæ leges*; his rebus florent.

Dicebat Democritus, *Duo eſſe in ſinu Iuſtitiæ Numina quæ cuncta gubernarent, præmium & pœnam.*

Crocodili imago cum his verbis *Plorat & Deuorat* eſt Iuſtitiæ imago. Iudex enim vt homo clemens dolet, vt Iudex libenter ſententiam in improbos pronuntiat.

Apud Ægyptios Hieroglyphicum Iuſtitiæ *Cupreſſus* à radice ad faſtigium recto ſtipite ſurgit, æquales ad ſummum ramos, æquali ordine & magnitudine habens, atque ita vt alius alium non excedat. Æquali iure omnes cenſeri debent.

Vnde dicebat Cardinalis Aldobrandinus *A viro iuſto etiam parentes ignorari.* Ideo quod apud eum, nec ſanguis nec Natura, ſed virtus plurimum habeat ponderis.

Apud eoſdem Ægyptios Palma Hieroglyphicum

Iuſtitiæ non quia incorrupta, ſed quia conſtans; vir enim iuſtus non ſpe aut metu, ſed officio ducitur.

Neda Dux Bohemiæ, filium Vratiſlai patrui in bello occiſi tradiderat educandum Doringo. Hic illum occidit, corpus ſub glaciem abiecit, caput attulit, addens. Nihil amplius ab hoſte timendum. Indignatus Neda illi dedit optionem ſe gladio occidendi, vel ſuſpendio, vel præcipitando ſe. Suſpendium elegit.

Caroli Audacis Iuſtitia in præfectum Zelandiæ.

Alphonſus Rex Hiſpaniæ, cum quidam Nobilis ruſticum ſpoliaſſet, nec prætoris ſententiam, nec Regij Conſilij mandatum de reſtitutione curaret, confiſus locorum longinquitati, in priuati hominis habitum perrexit in vltimam Galeciam, obſedit Domum eius, & comprehenſum curauit pro ipſis foribus ſuſpendi, ac cum ignominia ſtrangulari.

Nota de Bruto & Torquato. Henrici IV. de Bironio.

Crudelitas acerbiſſima eſt trahere pœnam, miſericordiæ genus eſt cito occidere. Senec. de Benef.

SYM-

SYMBOLVM

FL. IVLII CONSTANTII.

Patiens ſit Principis auris.

REſp. quoddam eſt corpus; in quo *Caput* eſt Princeps. *Oculi* viri boni, quorum ductum ſequuntur. *Aures* ſunt ſubditi obedientes. *Lingua* viri eruditi & eloquentes, à quibus leges. *Capilli* ſunt oppreſſi, opem Regis implorantes. *Manus & Brachia* ſunt Equites & Nobiles qui hoſtem reprimunt. *Pedes* ſunt Agricolæ, victum omnibus procurantes & omnia ſuſtinentes. *Oſſa* carnem fulcientia, ſunt ſapientes onus Reip. ſuſtinentes. *Cor* non apparens, intimi familiares, qui in arcano Senatu dant conſilium, *Collum*, quo capiti corpus cohæret, eſt amor Regis & regni. Hęc *Plutarchus*.

Caput ergo Reip. Princeps, quia ſuperior, & ab eo principium rerum omnium in Regno.

Cum autem ſolum caput aures habeat ſignificatur Regis eſſe, & non alterius audire, portaſque aurium præbere aptas ijs, qui negotij quid habent. Vnde *Patiens ſit Principis auris*: cuius ſenſus eſt Principem libenter omnes debere audire.

Nec ratio deeſt. Cum enim Principes ab omnibus tributa exigant, omnes æquè debent audire, diuites, pauperes, mulieres &c.

Hanc ob cauſam prouidi Principes eligent ſedem

& do-

& domicilium in medio Regni, vt facilius vndequaque ſit ad illos aditus.

Reges Capadocum elegerunt Mazacam vrbem ſub Argæo Monte, quia in media Regione.

Princeps enim melius ſe omnibus communicat, proximioribus & extremis dum medius eſt. Vt Sol inter Planetas.

Antoninus Pius reſidebat in Vrbe, vnde medius nuntios citius accipere poſſet, nec vllas peregrinationes obijt dicens *Grauem Prouincialibus Comitatum eſſe Principis etiam nimis parci.*

In Creta inſula fuit Simulachrum Iouis abſque auribus effictum, vt declararetur quidem quod qui iura dant, debeant non priuatim auſcultare ſed omnibus publice conſulere.

Interim *Patiens ſit Principis auris* oportet, religioſa & non obtuſa, vacua, & ad omnes querelas æquè patiens. Quæque non ficte & ſimulatè, nec quæſtus cauſa, audiat, ſed vere, benignè, amanter.

Pythagoras Philoſophus monet, *Principi ſine ira audiendum eſſe.*

Demonax, interrogatus quomodo Princeps bene imperaret, *Cohibendo iram, pauca loquendo, multa audiendo.*

Cleobulus Magiſtratum vult eſſe qui libenter audiat.

diat. Etſi non temere audiat, quia qui vult omnia audire, multa debet ignoſcere, vt Domitius Afer apud Fabrum.

Nihil gratius ſubditis, quam cum intelligunt aures eius qui regnat ſibi patere, nec querelis clauſas eſſe.

Quam ob cauſam Plinius laudat ſuum Traianum, apud quem nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora; audiuntur, dimittuntur ſtatim. In eodem Panegyrico *Liberum eſt ingrediente per publicum Principe ſubſiſtere, occurrere, comitari, præterire &c.*

Cicero ad Q. Fratrem. *Facillimos eſſe aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac ſollicitudinem non modo vllo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem tua & cubiculo excluſam tuo.*

Quippe hac comitate & ſuauitate morum tanquam adamantinis vinculis omnes obligantur.

Qui porro audiendi.

Primo Nobiles & optimates, quia eorum maioris momenti ſunt negotia.

Deinde plebeculam; eius querelæ ferè ſemper continent aliquam neceſſitatem.

In omnibus audiendis admiſcenda beneuolentia cum modo tamen, vt ſimul ſeruetur auctoritas.

Audienda vero vtraque pars in iudicio, vel accuſatione.

Alexander Magnus cum iudex ſederet accuſatori aurem,

Auſonius in Pan. Gratiani. Laudabile eſt Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione cauſari &c.

Alphonſus Calabriæ Ducis auus neminem à ſe abire triſtem patiebatur vt refert Pontanus.

Franciſcus Sfortia audiebat exteros & infimos ſummâ humanitate & clementia. Hinc amorem omnium ſibi comparauit.

aurem, occludebat alteram, vt reo eam integram conſeruaret.

Sicut iudices Attica lege iurabant, *ſe vtramque partem audituros.*

Seneca in Med.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Euripides.

Quis iudicet cauſam aut ſententiam ferat
Priuſquam vtriuſque ſermonem rectè audiat?

Vt hoc monerent Thebani, finxerunt Principem in ſimulachro cœcum & auritum, Iudices aſſidentes mancos, ſeu manibus truncatos.

Cæcum illum ne perſonarum ſpectator & acceptator. Iudices mancos, ne corrumpantur largitionibus.

Manus ſupinæ aut in pugnum compreſſæ, ſunt auaritiæ Hieroglyphicum. *Oculi* gratiæ & fauoris. *Aures* extantes & apertæ, docilitatis & ſtudij cognoſcendi. Poſtea in omnibus alijs.

Traianus ab Ælio Spartiano laudatur, quod cum iam equum conſcendiſſet, in bellum iturus tantum ad audiendam pauperculæ mulieris querelam deſcendit. Principum fores patere debent, vbi non patent, ibi etiam viſcera ſubditorum Dominis ſunt clauſa.

Marcus Aurelius nunquam vſus eſt domi admiſſionum magiſtro, nec cubiculario, nec quenquam cui ne-

gotij aliquid eſſet, vel ad vnum diem reiecit.

Quando non eſt metus inſidiarum omnes etiam infimæ ſortis admittere Princeps debet.

Periculoſa eſt moroſitas quorundam & nimium faſtidium, dum non admittunt ad ſe, & reijciunt.

Demetrius Rex Macedoniæ multos libellos ſupplices hilari vultu accepit, poſtea non lectos in Alpium flumen abiecit, & ſupplices velut muſcas ſibi moleſtas à ſuo Comitatu depelli iuſſit. Plut. in eius vita.

Immemor officij ſui, quod eſt facere Iuſtitiam, præbere auxilium pupillo, viduæ, omnibus oppreſſis.

Alius Aug. Cæſar, qui in multam noctem audiebat omnes lectica etiam pro tribunali poſita cum æger eſſet.

Cuidam trepide libellum porrigenti, *Quid*, inquis, *An putas te aſſem dare Elephanto?*

Adrianus Imp. cum diceret ſibi otium non eſſe ad audiendam mulierculam, illa *Ergo imperare noli.* Audiuit.

Eodem modo paupercula Philippo Regi Macedonum *Rex meam niſi audias cauſam Rex eſſe non potes.*

Veſpaſianus cum propter vitiata inteſtina valde cruciaretur legationes tamen audiebat in lecto & di-

cebat

cebat momentibus vt ſibi parceret, *Imperatorem ſtantem mori oportere.*

Non eſt regum dormire ſed audire.

Carolus Magnus cum calcearetur, aut amiceretur amicos admittebat : ſi lis aliqua ab eo tantum definiri deberet, litigantes introduci iubebat.

Agamemnonem Iupiter ſic alloquitur per ſomniũ.

Tota nocte virum Regem dormire pudendum eſt, cui populi, cuius commiſſa negotia curæ maxima ſunt.

Indorum Regem dormientem ſi qua fœmina occiderit, munus habet vt cum ſucceſſore iungatur. Apud Honieum.

Diocles Rex Medorum munimentis ſepſit Regiam, & primus cauit nequis ad Regem ingredi permitteretur, nec conſpici à quoquam volebat.

Rex Chinenſium hodie nunquam egreditur, omnia per internuntios agit.

Rex Abyſſinorum ter quotannis faciem ſubditis aperit.

Rex Indiarum neminem niſi per vitrum alloquitur & in iſta cauea vitrea otioſam maieſtatem & barbaram grauitatem tuetur.

Multiades omnium gratiam aſſequebatur aditus facilitate. Artaxerxes, etiam voluit patere aditum ad *Teſte Plutarcho.*

vxore ſi opus eſſet, adecq; vehebatur ſublatis plagulis.

Baſilius Macedo Imp. Conſt. cum aliquando ad Diatribam & audientiam deſcendiſſet & neminem reperiſſet ſuſpicatus eſt eos arceri per aliquos, miſit Satellites, qui inquirerent an aliqui eſſet, qui loqui Imperatori vellent vbi intellexit neminem eſſe, præ gaudio lachrymans egit gratias Deo. Cedrenus

Theodoſius benigniſſime audiebat.

Maximil. II. A prandio patebat ad ipſum aditus menſæ, adſtantem, vel prope ſedentem omnibus etiam viliſſimis, & libellos accipiebat & eadem lingua reſpondebat.

Carolus V. ſublata menſa omnibus etiam patebat.

Rarbadicus Dux Venetorum teſte Sabellico volebat vt omnium qui audiri vellent nomina octauo quoq; die in ſortem conijcerentur, & cuius nomen primo eductum eſſet, is primo audiretur, ita &c.

Cum Lydamis Tyrannus Legatos non admitteret diu detentos, poſtea diceret ſe ægrum eſſe, illi *non venimus cum illo luctaturi.*

Caligula, Pauſanias, ob difficiles aditus male audiuerunt.

Videndum ne ſtet per Aulicos admiſſionales. Talis Thurinus ſub Alexandro Seuero, quem fumo necari iuſſit.

Nihil violentius aure Tyranni.

SYM-

SYMBOLVM
CONRADI PRIMI.
Fortuna cum blanditur fallit.

M. T. C. in officijs magnam eſſe vim fortunæ in vtramque partem vel ad res ſecundas vel aduerſas oſtendit. Nam cum proſpero eius flatu vtimur ad optatos exitus prouehimur, & cum reflauit affligimur.

Quam ob cauſam aliqui eam pingunt in mari globo alato inſiſtentem, & velatis oculis velificantem.

Ea, vt vult Pontanus nihil aliud eſt, quam occultum Dei & ſyderum decretum.

Alij eſt ignoratio & cæcitas humanæ mentis; hoc eſt euentus, cuius homines rationem reddere nequeūt.

Secundum Cic. in Topicis, eſt aliquid occultè & latenter agens.

Hac autem, vt in omnium confeſſione eſt, nihil eſt inconſtantius aut mutabilius. Nunc ſæua, nunc blanda, ex matre fit nouerca & contra.

Cauſa alia reddi non poteſt, quam quod ita libeat, & incertæ ſortis ſint res humanæ, & nihilominus circumſcribit ſe ſtulta mortalitas prudentiamque reputat ſuam tanquam homo ſemper ſapiat, præſertim in rebus ſubitis & inopinatis, in quibus ne ſapientes quidem ſatis ſapiunt.

Quare multum refert qualis ſit cuiuſque animus, cum fortuna ſecunda eſt vel aduerſa, ne vel inſoleſcat in ſecunda, deficiat in aduerſa; in vtraque fortuna moderatus ſit oportet animus, ſecundum præceptum Theobuli.

Porro hoc Symbolum deſumptum eſſe videtur, ex illo Publiano. *Fortuna cum blanditur captatum venit.* Quare vero fortuna blanda fallit? Quia vt Publius.

Fortuna vitrea eſt, cum ſplendet frangitur.

Deinde Magnæ fortunæ comites ſunt ſtultitia & arrogantia. Et fortunæ blanditiæ ſunt fomenta vecordiæ. Ideo bene idem Publius

Fortuna quem nimium fouet, ſtultum facit.

Et præterea, eos quos multis beneficijs ornat, ad duriorem caſum reſeruat.

Soſeſtris Rex Ægyptiorum Illuſtris, felix, diues, victor, multarum nationum. Inde in proteruam arrogantiam ſublatus, curru ex auro lapidibuſque pellucidis & pretioſis conſtructo vehi ſolitus eſt, & à quatuor Regibus victis trahi. Eorum vnus cum rotam ſępe contemplaretur rogatus cauſam, inquit, *Intuens rotæ volubilitatem, cum ſtupore eam admiror, in qua ſumma citò fiunt ima, & cogito fortunæ inſtabilitatem, alias excelſa humiliantem, alias humilia exaltantem.* Noluit ille amplius currum à Regibus trahi.

EamHiſtoriam cum Theodorus Imperatoris Mauri-

tij Le-

tij LegatusChagano Perſarum Regi olim narraſſet, ſic eius faſtum fregit, vt cum Romanis Pacem inierit.

Vnde rectè Valerius Lib. 4. c. 7. *Optima vindex inſolentiæ eſt, varietas humanæ conditionis.*

Inebriat fortuna homines. Ouidius.

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

Maxime quando proſperitas euenit non merentibus, quia vt ait Demoſthenes, *Felicitas quæ euenit non merentibus, occaſio deſipiendi eſt ingenijs ſtultis.*

Non tantum ipſa cæca eſt, ſed etiam cœcos facit. Et nihil eſt inſipiente fortunato intolerabilius.

Lucanus — *Summiſque negatum*
ſtare diu.

Rogatus Apelles, quare fortunam pingeret ſedentem, *Quia*, inquit, *ſtare loco neſcit.* Ouidius 5. triſtium.

Paßibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Nec manet incerto fixa tenaxque loco.

Iuuen. Saty. 7.

Si fortuna volet fies de Rhetore conſul,
Si volet hæc eadem fies de conſule Rhetor.

Idem. — *Ex humili magna ad faſtigia rerum*
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

Senec. in Agam. — *Quicquid in altum*
Fortuna tulit, ruitura leuat.

Idem in Octauia. *Quicquid excelſum eſt, cadet.*

Crœſus Lydorum Rex, conſultus à Cyro bellum contra Thæmyrim moturo, *Si tibi*, inquit, *videris eſſe immortalis, nihil opus eſt, vt meam tibi ſententiam dicam; ſin vero te quoque agnoſcis hominem, illud inprimis diſcito talem humanarum rerum circulum eſſe, qui rotatus eoſdem ſemper fortunatos eſſe non ſinit.* Ex Herod. Lib. 1. Mouit & occiſus eſt.

Sciebat Crœſus ex Solonis ſententia *Non eſſe fas beatum illum cenſere, qui in his vitæ fluctibus iactatur, antequam ingreſſus eſt portum. Nam poteſt tempeſtas interuenire.* Hinc ille.

Luſus fortunæ variatur imagine Lunæ
Creſcit, decreſcit, conſtans conſiſtere neſcit.

Suſpectam habere oportet fortunæ indulgentiam *Paucis fortuna currum à carceribus ad metam ſine offenſa aut euerſione perduxit.*

Hinc Philoſophus Macedo, cum eodem die viciſſet in Olympijs, & Parmenio Dardanenſes fregiſſet, & natus eſſet ex Olympiade filius poſtea Alex. Mag. *O fortuna*, inquit, *pro tot tantiſq; bonis leui quopiam malo me affice.* Plut. Fulg.

Idem cum poſt victoriam in Cheronea inſoleſceret, ſcripſit ad illum Archidamus, *ſi vmbram tuam metiri volueris, haudquaquam nunc maiorem deprehendes, quam fuit ante victoriam.*

Idem cum in Palæſtra prolapſus, ſurgens videret in puluere corporis ſui veſtigium, *Pape*, inquit, *vt minimam terræ*

terræ partem naturâ ſortiti orbem appetimus vniuerſum.

Agryppa Rex Iudæorum cum vinctus, poſtea auctus honoribus ad regnum remitteretur à Claudio Imper. catenam auream ſibi datam, & pondere parem illi ferreæ, qua Regiæ manus ligatæ fuerant, ſuſpendit Hieroſolymis in ſacrario ſuper Gaſophilacium, vt ſpectatores doceret, ſublimia poſſe corruere, & Deum iterum erigere poſſe. Ioſ. Ant. Lib. 19. c. 5. & 18. c. 8.

Xerxes notum fortunæ ludibrium Dionyſius Syracuſanus Adamantinum Imperium ſe obtinere putabat, cum poſſideret naues 400. peditum 100000. equitum 9000. Syracuſas vrbem potentiſſimam, in qua centum myriades modiorum frumenti, armamentarium inſtructiſſimum. Sed poſtquam fratres occidit, vidit filios mactari, filias ſtuprari, & nudas trucidari, affines viuos comburi, ſecari, in mare abijci. Tandem ſenex ipſe in tonſtrinis ſedens riſum mouit, & miſeram vitam traduxit. Ælian. Lib. 4. Var. hiſt.

Rectè Seneca Ep. 92. *Quid eſt, quod non fortuna cum noluit, ex florentiſſimo detrahat, & quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo ſpecioſius fulget.* Philoctetus apud Soph. *Extra damna qui pedes habet, quæ ingruere poſſunt proſpicere debet mala.*

Apud Stobæum

Fortuna cum ſplendet, tunc fallit maxime.

Zeno Imp. cognita ſuorum ſtrage, ingemiſcens, *Dei*

ludibrium, inquiebat; *eſt homo, quoniam & mihi ſic illudere amat fortuna.*

Ouidius. *Nempe dat, & quodcunque libet fortuna, rapitque,*
Irus & eſt ſubitò, qui modo Crœſus erat.

Labeuus apud Macrobium Lib.2. Saturn.

Non poſſunt primi eſſe omnes in omni tempore,
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Conſiſtes ægre, & citius, quam aſcendas, decides,
Cecidi ego, cadet qui ſequitur: laus eſt publica.

Horatius. *Fortuna ſæuo læta negotio, &c.*
Ludum inſolentem ludere pertinax.

Eſt ſecundum Poëtam *Tantum conſtans in leuitate ſua.*

Falsâ ſpecie deludit animos, quos *quaſi pilas habet* vt ait Plautus.

Alcibiadem quaſi duæ fortunæ partitæ ſunt: Vna dedit ei Nobilitatem, diuitias, formam, fauorem ciuium, ſumma imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantiſſimum ingenium: altera damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium Patriæ, violentam mortem.

Ideo bene Seneca, *Crede obſequenti parcius, leuis eſt Dea.*
Publius — *Male geritur, quicquid geritur fortunæ fide.*
Illa, vt ait Q. Curtius, *Nunquam ſimpliciter indulget, eoſque quos vni ſibi credere coëgit, magna ex parte auidos magis gloriæ, quam capaces, facit.* Eodem auctore, *Inter obſequia fortunæ non ſatis cauta eſt mortalitas.* Depreſſi per eam ſunt non ſatis cauti.

Vale-

1. Valerianus Imp. victus à Perſa, qui eius procumbentis dorſo vt equum conſcenderet adiuuabatur, 15. annis ignominioſam habuit ſeruitutem. Idem refertur de Baiazete, ſub Tamerlano, *Aur.Victor*
2. Pompeius magnus miſere in Ægypto occiſus.
3. I. Cæſar 23. vulneribus in Senatu confoſſus.
Vnde Auſonius. *Si fortuna iuuat, caueto tolli.*
Si fortuna tonat, caueto mergi.
4. Ab Auguſto Cęſ. vſque ad Conſtantinū M. ſpatio 300. annorum numerantur 43. Imp. violenter occiſi.
Raro permanent vſque ad exitum ſucceſſus &c. Pompo. Lætus.
5. Aman apud Aſſuerum.
6. Holofernes Dux Aſſyriorum.
7. Balthaſar vna nocte regno & vita exutus. Dan. 5.
8. Galliæ Reges Chilpericus & Ludouicus Regno pulſi, Franciſcus I. captus. Henricus III. occiſus à Monacho. Hen. IV. à Raueillaco in ipſo quaſi Reginæ triumpho.
Calamitas eſt flagrum quo impellimur ad officium. Gilimer Rex Vandalorum à Pharo obſeſſus in monte Numidiæ à Beliſario petijt ab eo vt ſe dederet, panem, Spongiam, Cytharam, fami leniendæ, ſiccandis oculis, leniendo animo. Vbi deditus fuit ſemper riſit, & adductus in conſpectum Iuſtiniani Imp. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

SYMBOLVM HENRICI AVCVPIS.

Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.

HOc Symbolum ex illo Ouidij ſumptum eſt.

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox
Cuique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Seneca. *Clementia omnibus hominibus neceſſaria; maxime autem decora eſt Imperatoribus, quæ & ipſa verecundiam peccandi facit.* Moderatorem populorum oportet cum Iuſtitiæ Aculeo mel Clementiæ habere commixtum.

Melior enim eſt venia, quam vindicta, vt Græcus ille ſapiens συγγνώμη κρείττων τιμωρίας.

Crudelitas minime humanum malum eſt, teſte Seneca, indignumq́ue Regio animo ſanguine ac vulneribus gaudere.

Idem. Satis eſt pœnarum poſſe puniri. Poëta

Pendere poſſe ſat eſt, ſi quem iuuat iſta poteſtas.

Auctore Gregorio. Sæpe in vlciſcendis vitijs fit crudelitas, quæ iuſtitia putatur.

Innocentem autem punire ſcelus eſt, multoq́ue ſatius eſt mille nocentes dimittere, quam in vnum animaduertere innocentem, vt eſt celebris omnium Iuriſconſ. ſententia.

Fredericus Imp. victis in Hungaria Gunxienſibus, magnum, ait actum eſt opus, nunc autem maius reſtat, vt vincamus noſmetipſos, atque vlciſcendi cupiditati fræenos imponamus. Æneas Syluius de geſtis Alphonſi.

Ludouicus XI. Gal. Rex. Cum à ſuis moneretur, vt iam ad regnum accitus, omnes iniurias, quas dum Aurelianenſium Dux fuerat, acceperat, vindicaret, *Non* inquit, *decet Gallorum Regem iniurias Ducis Aurelianenſis vindicare.*

Ludouicus XII. Gal. Rex. Vnum hoc ingenue & maxime principio adminiſtrationis vouiſſe dicitur, ne vnquam iniuriarum, quas ab inimicis acceperat priuatus vltor ipſe ac vindex eſſet. Quia ſciebat cum Conſule illo Romano apud Liuium Lib. 42. iniuriam etſi iuſtam; minime tamen in Magiſtratu exercendam.

Faciendum Principi eſt, quod Medici faciunt, qui rariſſime ſectiones & vſtiones adhibent, ne ipſa vitia in corpore magis exaſperentur: pleraque lenibus exercitijs, & mitibus medicamentis ſanant ac molliunt. Dio Lib. 55.

Hinc Plato de Rep. recte monet oportere Iudices duo hæc ſemper ob oculos ſibi proponere, vt in ferenda de fortunis aliorum ſententia auaritiam; in caſtigandis hominibus vindictæ cupiditatem nullam præ ſe ferant.

Quæ

Quæ enim voluptas ex pœna? Vlyſſes rogatus num ex Aiacis inimici calamitate voluptatem caperet, *Triſte*, inquit, *mihi ſpectaculum videtur*. Cuius animi moderationem laudat Minerua apud Sophoclem in Aiace. *Si*, inquit, *hoc animo ſemper fueris, ſuperis charus eris, & vitam feliciter exiges tuam.*

Epaminondas Ciuium ſuorum iniurias patientiſſime ferebat, dicebatque nefas eſſe patriæ iraſci, vt parentum iniurias vlciſci pietas vetat. Æmil. Probus.

Inde etiam Dionyſ. Syracuſanus reuocatus ab exilio in patriam, vlciſci iniurias à perduellibus ſibi illatas non voluit. Heraclidem priſtinæ dignitati reſtituit, dicens *ſæpe homines malos emendari, & mutari tandem beneficijs videmus*. Idem Æmil. Prob.

Iulius Cæſar ſimultates contra quoſcunque ſuſceptas, etſi grauiſſimas, data occaſione libenter deponebat; eoque animo ſtatuas Pompei à populo deiectas, repoſuit. Quod factum laudans Cicero, *Cum ſtatuas Pompei ô Cæſar*, inquit, *collocaſti, tuas conſtabiliſti*. Plutarch.

Veſpaſianus iniuriarum minime memor, Vitellij hoſtis ſui filiam ſplendidiſſime maritauit dotauitque Sueton. c. 14,

Valerius Max. Lib. 4. c. 1. refert de M. Bibulo, quod cum in Syria eſſet, duos egregiæ indolis filios à Gabinianis militibus occiſos eſſe cognouit. Quorum interfectores cum ad eum miſiſſet Cleapatram, vt vltionem

exige-

exigeret, ille oblato beneficio, quo nullum maius lugenti tribui poterat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificeſque ſui ſanguinis intactos, è veſtigio ad Cleopatram reduci iuſſit, dicendo *poteſtatem huius vindictæ non ſuam, ſed Senatus eſſe debere.*
Hinc Seneca in Hercule furente.

—— Sanguine humano abſtine,
Quicunque regnas. Quiſquis eſt placide potens
Dominuſq́; vitæ, ſeruat innocuas manus,
Et metuentum mitis imperium regit,
Animoque parcit.

Idem in Octauia.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere Patriæ, parcere afflictis; fera
Cede abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum via.

Quam ſententiam M. Aurelius Antoninus vxoris Fauſtinæ reſcripſit, cum immitius conſuleret, vt Caſſianæ rebellionis reos ſupplicio afficeret. *Tu*, inquit, *religioſe quidem pro marito & liberis agis, cum me hortaris vt Auidij conſcios vindicem. Ego vero & liberis eius parcam, & genero, & vxori, & ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio grauior ſit, aut pœna crudelior. Nihil eſt enim quod Rom. Imperatorem melius commendet gentibus, quam Clementia &c.*

De Clementia Claudianus in Honorio.

Quæ docet, vt pœnis hominum vel ſanguine paſci
Turpe ferumque putes: vel ferrum Marte cruentum
Sic cum parte premas; vt non infenſus, alendis
Materiem præſtes odijs; vt ſontibus vltro
Ignouiſſe velis, deponas ocyus iram
Quam moueas, precibus nunquam implacabilis obſtes.

Idem.

Sis pius inprimis, nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis

Lentè feſtines, & aliud agendo, id agat, vt populus corrigatur & correctionem n.ō intelligat. De vindicta cogitare nemo eam putet.

Dicam tamen, quod, rectè monet Lactantius. Quod ſi omnino ad vindictam procedendum eſt, non eo procedendum eſt, quia læſi ſumus, ſed vt diſciplina ſeruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur.

Sit ergo Princeps

Tardus ad vindictam.

Sed etiam *Ad beneficentiam velox*.

Hæc virtus Plane Regia, Reges enim Vicarij Dei; ille pauperum, pupillorum, viduarum ſe tutorem & patronum vocat in Scriptura Sacra.

Beneficentia ſeu liberalitas, teſte C. Tacito, Maxime imperitos mouet & plebeios; ſed & præclara atque illuſtria ingenia beneficijs mouentur. Nam ſicut fruges non tam ſoli ingenio, quam cœli beneficio & temperie lætius proueniunt, ita artes bonæ eximiaque ingenia benignitate magiſtratuum excitantur.

Cyrus

Cyrus qui amicos dicebat eſſe ſuos theſauros, potitus Perſarum Regno nullum in ſuos liberalitatis genus prætermiſit. Dicebat etiam boni Regis proprium officium & opus eſſe ciuitates beatas efficere.

Rectè Seneca. *Melius imperium beneficijs, quam armis cuſtoditur.*

Miltiades refractis hortorum & agrorum ſuorum ſepibus ciuibus partem faciebat quod vſum eſſet decerpendi. Quilibet pauper ad eius cœnam quotidie admittebatur. Qui illum comitabantur honeſtis veſtibus induti, eas commutabant cum ijs, qui tritas habebant. Nummum ferebant, & obuijs, in manum ingerebant, ſi egere viderentur.

Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypt. crebro dicebat τοῦ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν βασιλικώτερον. Ditare, quam diteſcere regium magis eſt. Ideoque ſuos amicos, quam locupletiſſimos efficiebat. Ælianus Lib. 3. var. hiſt.

Scipio nunquam è foro domum redibat, niſi collato in aliquem beneficio. Pont. Lib. 2. de Magnan.

Alexander Seuerus nullo non die liberalitatem exercebat. Imo hortabatur bene meritos, vt peterent. Cuidam dixit. *Quid eſt, quod nihil petis? an me vis tibi fieri debitorem? Pete ne ſit, quod priuatus de me querare.* Lamprid.

Hinc Valerius. *Domus Magiſtratus beneficentiæ ſit officina.* Quippe vt dicebat Conſtantius Chlorus *Melius eſt opes publicas à priuatis haberi, qnam intra vnum ærariũ conſeruari.*

 Vnde

VndeDionyſius ſenior cum apud filium reperiſſet vaſculorum aureorum & argenteorũ magnam vim. *Non eſt*, inquit, *in te regius animus, qui his poculis & vaſculis, quæ à me tam multa accepiſti, neminem tibi amicum feceris.* Plutarchus.

Alphonſus Rex Siciliæ & Neapolis quoſcunque intelligebat egere, iuuabat. Pontan. de liberis. Iſacius Angelus Imp. Græcorum circuibat domos pauperum, & munificentiâ recreabat. Nicetas Oſualdus Northumbrorum Rex ægrotantium etiam cubilia circumibat & iuuabat. Polydorus.

Aureliano Imp. roganti quo pacto imperandum eſſet, reſpondit Magnatum quidam. *Si Remp. rite adminiſtrare volueris, auro & ferro munitum te eſſe oportebit; ac ferro quidem contra hoſtes vti, tui vero obſeruantes auro remunerari.* Zon.

Potiſſimum tamen beneficentiam in bene meritos eſſe debet, & cum modo *Nam ſubitæ & nimiæ largitionis comes eſt pœnitentia.* Plinius Lib. 7. Ep.

Sit etiam in viros doctos, vt qui vtilem Reip. operam præſtant docendo, Principum munificentiam ſentiant. Græculus quidam Auguſto Cæſari dederat Epigramma, illi Auguſtus paulò poſt vnum à ſe compoſitum reddidit ille laudauit, & accedens ad ſellam Cæſaris, qua vehebatur, ex paupere crumena pauculos denarios illi dedit *Non iuxta fortunam tuam Auguſte,*

ſi plus

ſi plus haberem plus darem. Sequuto riſu iuſſit Cæſar illi dari ſeſtertium centum millia. Macrob. Sueton. Bruſſon.

Domus Luculli Romæ dicebatur Græcorum Pritaneum, propter liberalitatem in eos.

Nobilis quidam Gualterus Lobanoffeſſo promiſerat duos boues, ſi poſſet verſum vnum componere, dum ipſe equum aſcenderet. Compoſuit hunc

Aſcendat Gualter, veniat bos vnus & alter.

Accepit Boues.

Ouidius de Arte Amandi Lib. 3.

Cura Ducum fuerant docti Regumque Poëtæ,
Vatibus & largæ ſæpe dabantur opes.

Martialis.

Sint mæcenates non deerant Flacce Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Plura alibi de liberalitate.

SYMBOLVM

HENRICI SEXTI IMPER:

Qui neſcit tacere, neſcit loqui.

HOc Symbolum deſumptum eſt ex antiquo dicto Pittaci Mytilenæi *Loqui ignorabit, qui tacere neſciet*. Cuius ſenſus eſt, qui non habet artem tacendi, nec loquendi nouit opportunitatem; adeoq́ue eiuſdem eſſe Artis recte tacere & recte loqui. Quia teſte Gregorio *Recte ſcit loqui, qui ſcit ordinate tacere*. Hinc Euripides in Oreſte.

Sermoni præſtat interdum ſilentium;
Sermo ſed interdum præſtat ſilentio.

Quod Hugo expreſſit hoc modo. *Eſt*, inquit, *tempus quando nihil; eſt tempus quando aliquid; nullum autem eſt tempus, quando omnia dicas.*

Auſonius. *Vt diuerſa ſibi vicinaque culpa eſt*
Multa loquens & cuncta ſilens.

Quanquam etiam ſecundum Theognidem *Ne ſapienti quidem facile eſt ſemper tacere.*

Quid ergo eſt ſapientis? Menander

Et in loco tacere, & in loco loqui.

Quis ille locus eſt?

Tacere vbi neceſſe eſt, & vbi tutum eſt, loqui.

Sicut Ino Euripidea apud Plutarchum prædicat ſe nouiſſe.

Quippe

Quippe ſapiens non ſolum quid loquatur, inquirit, ſed etiam oportunitatem loci, temporis, perſonæ, teſte Iſidoro. *Nam magnæ ſtultitiæ eſt quouis loco, quibuſuis de rebus, & apud quoſuis loqui, & ignotis præſertim de rebus, ac parum cognitis aut ſuperuacaneis inepte atque intempeſtiuè garrire.*

Cuiuſmodi locutuleios & blaterones Eupolis venuſtè dicit eſſe. *Loqui optimos, ac eloqui ſic peſſimos.*

Antiſtenes non inſcitè, ingenioſos nugatores, appellat. *Malum ingens lingua docta.* Euripides.

Sed vt ait Menander.

Turpe eſt diſertus ſi dicendo quiſpiam
Sermonem inanem lingua eiaculatur ſua.

Ea oratio laudem meretur, *Quæ ſapiens, breuis, oportuna.* Semper orationis moderatrix eſſe debet ratio, vt non tam in ore, quam in corde nata videatur.

Mens orationis fons eſt, vt ait Chriſyppus Stoicus.

Zeno præcepit, Philoſophum oportere in mentem intimam proferre orationem.

Idem Zeno adoleſcenti cuidam inepte in Academia garrienti. *Niſi*, inquit, *lingua in mentem prius intincta diſſerueris, adhuc multo amplius dicendo delinques.* Cuiuſmodi diſcipulos non φιλόλογυς ſed λογοφίλυς nominauit.

Quo ſapientior eſt oratio, eo breuior eſt.

Sophocles. *Multum breui ſermoni ineſt ſapientiæ.*

Quia vt Lycurgus ait, *ſapientia finitima eſt ſilentio.*

Quæ, ſecundum Pythagoram, multis verbis pauca

com-

comprehendit, ſed paucis multa.

Iſidorus. *Breuem ſermonem ſcientia facit; loqui multum ſtultitia eſt. Vox namque inſipientis in multiplicatione ſermonis: maneat ergo in verbis menſura; in ſermone ſtatera; ſemper verba tua ſint moderata; modum loquendi ne tranſcas: plus dilige audire, quam dicere; plus auſcultare, quam loqui.*

Peccatum hic eſt, inania, inepta, ſuperuacanea proferre. Quippè auctore Pythagora *Optabilius eſt lapidem temere proijcere, quam ſermonem otioſum.*

Teſte Apollonio, *Loquacitas multos habet errores, ſilentium vero tutum eſt.* Idem dicit optimos eſſe homines eos, qui in dicendo breuiſſimi ſunt.

Sic Theocritus Anaximenis orationem longam vocat *Verborum flumen, mentis autem guttulam.*

Quia ſecundum Euripidem. *Multa verba non arguunt ſapientem opinionem.*

Rectè Nicoſtratus.

Si multa continue & celeriter proloqui,
Prudentiæ ſignum foret, tum hirundines
Multo ſapientiores eſſent hominibus.

Hinc Prouerbium *Eijcienda Hirundo.* Id eſt, Garruli procul ſunt eliminandi.

Seneca in Medea.

Suſpecta ne ſint, longa colloquia amputa.

Moleſti ſunt Garruli.

Hinc Euripides.

Quiſquis

Quiſquis loqui multum delectatur nimis,
Is non videt ſic ſe moleſtum eſſe omnibus.

Omne intempeſtiuum moleſtum eſt. Quod etiam in exquiſita ſcientia cauendum eſt. Nam vt ait Theognis.

Dicere multa graue eſt ſapientem apud inſipientes.

Iſocrates ad Demonicum. *Duo loquendi tempora conſtitue, alterum de rebus tibi plane cognitis, alterum de ijs, quæ neceſſario ſunt dicenda: in quibus ſolis ſilentio præſtat, oratio: in alijs vero tacere ſatius eſt, quam loqui.*

Solon. *Obſigna ſermones ſilentio, ſilentium vero occaſione.*

Pythagoras monet, *Aut ſilentium tempeſtiuum, aut orationem vtilem habere.*

Idem. *Aut ſilere oportet, aut proferre aliquid melius ſilentio.*

Euripides. *Sile, vel meliora loquere ſilentio.*

Plautus in Epidico.

Tacere eſt optimum; plus ſcire ſatius eſt
Quam loqui cautum hominem: ea ſapientia eſt.

Silentij tutum præmium. *Eſt & fideli tuta ſilentio merces.* Horatius.

Quiſquis tacet, ſapit; adeo ſi ſtultus taceat ſapiens reputatur.

Pythagoras voluit diſcipulos ſuos loqui dediſcere, ante omnem eruditionem.

Idem ſecutus Iſocrates qui duplicem mercedem poſtulauit, cum quidam Careon locutuleius in diſciplinam eius admitti vellet, alteram, vt loqui diſceret,

alteram vt tacere diſceret.

Æſchines reprehenſus ob ſilentium. *Non ſolum*, inquit, *didici loqui à Socrate, ſed & tacere.*

Philoſophus alius, rogatus quid ſibi Philoſophia profuiſſet, *Vt tacere*, inquit, *vellem ac poſſem.*

Diogenes cuidam contentioſo Philoſopho, *Quod optimum eſt in vita Philoſophi corrumpis, & verbis te Philoſophum profiteri audes.*

Zeno Ptolomæi Legatis reſpondit. *Hoc Regi renunciate, vidiſſe vos ſenem Philoſophũ, qui in conuiuio tacere nouiſſet.*

Pindarus laudans Epaminondam ait *Non facile ſe reperiſſe alterum, qui plura ſciret, & pauciora loqueretur.*

Democritus rogatus an propter ſtultitiam, an propter verborum inopiam taceret, *Stultus*, inquit, *ſilere non poteſt.*

Non minus interdum eſt oratorium tacere, quam loqui.

Nam iuxta Plutarchum, *ſicut myſteria ſpectantur cum ſilentio, ita quædam melius ſilentio laudantur, quam ſermone.*

Secundum Gregorium, *ſilentium eſt verbi nutrimentum, & ſilere bonis eſt linguam paſcere.*

Zeno cuidam adoleſcenti multa garrienti. *Aures tuæ in linguam defluxere.*

Veteres non puerorum ora, ſed aures exoſculabantur. Quaſi hac parte magis, quam illa proficerent.

Auditus doctrinæ ſenſus eſt, ſecundum Ariſtotelem.

Bene à ſapientibus dictum homines hominibus di-

cendi

cendi eſſe magiſtros; at ſolum Deum magiſtrum eſſe tacendi.

Maxima, ſecundum D. Ambroſium, ſunt fundamenta virtutum *ſilendi potentia, & loquendi opportunitas.*

Teſte Valerio, *Taciturnitas optimum & tutiſsimum eſt, rerum adminiſtrandarum vinculum.*

Bias rogatus ab Amaſide Ægyptio vt optimam & peſſimam victimæ partem mitteret, miſit linguam, qua & prodeſſe & nocere quis poteſt.

Pythagoras interrogatus à quodam, quomodo poſſet inter ſapientes diſcipulos numerari. Reſpondit.

Si ſerues ſilentium donec loqui ſit neceſſarium,
Si nihil dixeris, niſi quod benè ſciueris,
Si feceris optima, & locutus fueris pauciſsima
Silentium ſignum eſt ſapientiæ, loquacitas ſtultitiæ.
Ne feſtines reſpondere, donec finis ſit interrogandi.

SYMBOLVM OTHONIS TERTII.

Vnita virtus valet.

SVmptum eſt ex placito veterum Philoſophorum vulgo noto *Virtus vnita valentior, quam diſperſa.*

Symbolicè notatur vis concordiæ, & ſecundum Chriſt. *Vnum facit ex pluribus.* Secundum Cypri: *Simul iuncta vinci non poteſt, & vinculum eſt incolumitatis, & pacis firmiſſimum.*

Hom. *Coniuncti pollent etiam vehementer merces.* Per concordiam opes etiam exiguæ fulciuntur, quando mutuo ſe plures iuuant, ſeu quando *funiculus triplex non rumpitur*, vt ait Salomon. Et Publius:

Auxilia humilia firma conſenſus facit.

Contra vero iniuriæ & offenſionibus ſunt expoſiti, qui inteſtinis factionibus diſſident, vt à quouis facile ſuperari vincique poſſint.

Nam vt ait Liuius *Diſcordia & ſeditio omnia facit opportuniora inſidiantibus.*

Quam ob cauſam Iſocrates in Panegyrico *Monet hoſtes diſperſos ſingulatim inuadendos eſſe.*

Et Vegetius ſapientis eſſe Ducis ſcribit inter hoſtes diſcordiæ cauſas ſerere. Nã ſicut in diſcordia inteſtina,

teſtɔ

teſte Liuio, nihil poteſt eſſe occultũ, ita tum maxime via patefit hoſtibus ad opes aliorum expugnandas.

Nulla quamuis minima vis ab aduerſarijs facile deleri poteſt, niſi proprijs ſimultatibus ſe ipſa confecerit teſte Vegetio.

Quemadmodum ſingula haſtilia facile franguntur, coniuncta non item. Ita diſſidentes facile ſuperantur non item concordes.

Hac ſimilitudine frequenter vtebatur ex Plutarcho Otho, Imp.

Id exemplum eſt Scyluri Regis Scythiæ octoginta liberorum patris, qui moriturus faſcem iaculorum ſingulis porrexit, quem cum nemo frangere poſſet, ſingula exemit iacula; ijſque nullo negotio omnia frangentibus, *Si concordes fueritis inuicti eritis, ſi diſcordes facile vincemini.*

ApudÆſopum moriturus Pater filijs virgarum faſciculum propoſuit, quem cum fortiſſimus quiſque frangere non poſſet, minori ſingulas dedit quas facile fregit. *En*, inquit, *filij quantum mali adfert diſcordia; quæ iuncta ſunt inuicta ſunt; quæ ſoluta, facile vinci queunt. Sic & vos concordiam colite.* *Idem fecit Changius Rex Tartarorum. Idẽ Hollandi.*

Vnde Cicero ciues diſſidentes, ſcopas diſſolutas appellat.

Simile exemplum eſt de cauda equina, quam Sertorius propoſuit ſuis militibus vt eſt apud Plutarchum.

Veriſſimũ proinde Saluſtij dictum, concordia paruæ res creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur.

Sicut lapis è Scyro (ait Plinius) quamuis grandis fluctuat integer, ſed comminutus ſidit, ita res diſcordia peſſum eunt, concordia ſuſtinentur.

Plato & Ariſt. 3. Pol. c. 8. Nihil pernitioſius ciuitati, quam diuiſio, nihil melius, quam vnio.

Auguſt. concordia ciuitates conſtruuntur, quæ diſcordia deſtruuntur. Hæc enim duas ex vna Ciuitates fecit.

Huc ſpectat fabula de membris humani corporis rebellibus aduerſus ſtomachum, qua vſus eſt Mœnenius Agrippa.

Seuerus Imp. moriturus ad ſe vocauit Antoninum & Getam filios, *Facite*, inquit, *vt conueniat inter vos*.

Vltima eius verba.

Turbatam Remp. accepi, pacatam etiam Britannis domitis ſenex & æger pedibus relinquo; firmum imperium ſi boni & concordes filij erunt, imbecillum ſin ſecus.

Ageſilaus rogatus quare Sparta ſine mœnibus? Oſtendit ciues vnanimes, *En*, inquit, *ciuitatis Spartanæ mœnia*. Plutar.

Demetrius cum ad patrem Antigonum ex venatione ſuccinctus telis veniret, eum oſculatus conſedit. *Hæc*, inquit, *concordia regni noſtri tutiſſimum erit præſidium*. Diſcedentibuſque Legatis, *Renunciate*, inquit

inquit, Antigonus *talem amorem animiq́ pietatem qualem vidiſtis.*

Antiſthenes *Ciuium concordiam quouis muro firmius munimentum eſſe dicebat.*

Diſſidebant aliquando Cretenſes, id hoſtes intelligentes tumultuaria claſſe expeditionem moliuntur; quod cum Cretenſes reſciuerunt, in concordiam rediuerunt, nec auſi illi quicquam ſunt.

Traſibulus victis triginta Tyrannis ſuaſit Athenis rerum omnium obliuionem, & concordiam.

Contra cum Rhegmorum Ciuitas diuiſa ſeditione eſſet veterani ab altera parte in auxilium vocati, ab Himæra pulſis ciuitate ijs contra quos implorati fuerant,& mox cęſis,quibus tulerant auxilium vrbem cum liberis & vxoribus ſociorum occupauerunt.

Scipio Tireſiam quendam Celticum Principem rogauit,quare Numantia prius inuicta durauiſſet,& poſtea euerſa fuiſſet? *Concordia*, inquit, *victoriam, diſcordia exitium præbet.*

Figmentum illud de Geryone tricorpore, aut tricipite, qui magna concordia viuebat cum fratre Euryto & Creato, vt vno nomine Genyones vocarentur, vt vnam habere animam dicerentur. Non ſunt ab Hercule victi niſi ſeparati & diuiſi.

Camillus Romæ concordiæ templum dedicauit,& ei omnium rerum vbertatem attribuit.

Pingi-

Pingitur in numiſmatibus craterem dextra, læua cornucopiæ habens : vel ſceptrum ex quo fructus exeant porrigens.

Ægyptij cornices duas, Hebræi mala punica è veſtibus dependentia concordiæ Symbolum fecerunt.

Syluius Ital. *Paruis diues concordia rebus.*

Similitudo eſt in concordia fidium ad harmoniam.

Alciatus Emblemate 38. Cornices inter quas eſt ſcriptrum. 39. duos ſibi dantes dexteras. 40. Geryonem, 41. vnum nihil, duos plurimum poſſe. & in ſeq.

Kanutius cum videret Haraltum & Exicum fratres diſſidere, vt conuenirent minatus eſt ſe eum inuaſurum, qui ad contentionem rediret.

Ludouicus Galliæ inter Aulicos ſemper ſimultates compoſuit.

Alex. inter Epheſtionem & Craterum, compoſuit minando ſe inuaſurum eum qui alterum vel verbo vno læderet.

SYM-

SYMBOLVM
HENRICI SECVNDI IMP.
Ne quid Nimis.

DEſumptum ex Comico eſt, *Apprime in vita vtile eſt, Ne quid Nimis.* Suadetur Mediocritas, *Quæ, vt in omnibus rebus eſt optima, ita ad omnem vſum cultumque vitæ referenda eſt*, inquit Cic. in Officijs.

Corn. Gallus. *Maior enim medijs gratia rebus ineſt*

Modicis rebus longius æuum eſt, Seneca

Idem in Hercule Oetæo *Quicquid exceſſit Modum*
Pendet inſtabili loco.

Plautus in Pœnulo.

— *Modus omnibus*
In rebus optimus eſt habitus; nimia omnia
Nimium exhibent ex ſe negotium hominibus.

Inter Oracula Delphica refertur à Platone *Ne quid Nimis.* Quo monentur homines non nimium cupere, vt interpretatur Plinius, & ait *Pernitioſum eſt in omni vita, quod Nimium eſt.*

Omnes fere Sapientes vſurpauerunt

Pythagoras. *Multa inſunt Medijs bona.*

Pittacus, *Nil nimium.*

Cleobulus, *Menſura in rebus optima eſt.*

Thales. *Nil nimium ſatis eſt, ne ſit & hoc nimium.*

Henricus hic Claudus Imp. vt apertius ſuum Symbolum exprimeret dicebat, *Nihil impenſe quemquam cupere oportere; ita fieri poſſe, vt in nullo vnquam contriſtetur.*

Hoc vitium potiſſimum eſt Adoleſcentiæ. Nam adoleſcentes, teſte Ariſtotele in Rhet. ſicut impenſe concupiſcunt & vehementer, ita ſubito & celeriter, languent. Amant nimium, & oderunt nimium. Quia vt dicit Plato, his natura maxime profudit cupiditates. Seneca.

Iuuenile vitium regere non poſſe impetum.

Eorum cupiditas mature reprimenda eſt.

Rogatus Socrates quænam eſſet maxima adoleſcentis virtus? inquit *Ne quid nimis.*

Plutarchus vero, *Pietas*, inquit, *& ne quid nimis optimum.*

Heſiodus. *Menſuram ſerua, modus eſt pulcherrima virtus.*

Theognis. *Ne properes nimium, medio tutiſſimus ibis.*

Alpheus in Epigram.

Ne quid nimis, verbum hoc placet mihi nimis.

Horat. in Arte —— *hoc tibi dictum*

Tolle memor, certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi.

In Satyris.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Mart. *Illud quod medium eſt atque inter vtrumque probatur.*

S. Ber-

S. Bernardus. *Tene mediũ ſi non vis perdere modum, in te conſiſte, locus medius tuus eſt; mediũ ſedes modi, & modus virtus.*

Eſt autem moderatio ſpectanda primum in affectibus compeſcendis.

Terentius in Phormione.

Quam ſcitum eſt eiuſmodi in animo parare cupiditates
Quas, cum res aduerſæ ſunt, paulo mederi poßis.

Publius *Effugere cupiditatem regnum eſt vincere.*

Vnde Horatius. *Latius regnes auidum domando*
Spiritum &c. Lib. 2. Odarum.

Ex hac nimia cupiditate oritur dolor & mœror nam vt dicit Tacitus.

1 *Magnæ cupiditatis, ſi quis ea fruſtretur indiuiduus fere comes dolor ac mœror.* Quia teſte Valer. Max. inutiliter aliquid concupiſcere, & in eo perſeueranter morari, exitio ea dulcedo vicina eſt; præſertim cum nihil ſoleat eſſe æque gratum adeptis, quam concupiſcentibus, vt ait Plinius 29.

Nulli aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur. Omnium vero facillimum eſt ſeipſum quemque decipere, quando vnuſquiſque quod cupit, in animum inducit ſuum, & plane ſibi hoc perſuadet, teſte Demetrio.

Nec tamen magna res eſt aſſequi, vt Thucyd. loquitur, *quod quis deſiderat, ſed potius non deſiderare id, quo carere poteſt.*

Seneca Epiſt. 39. *Magni animi eſt magna contemnere, & mediocria malle, quam nimia.*

Ad Mediocritatem & Modeſtiam acquirendam plurimum ſeruiunt Artes liberales & Doctrina. Quia, teſte Plutarcho, *Nihil maius ex Muſarum placido commercio homines capiunt, quam quod naturam mitigent, & manſuetam faciant ratione & Doctrina, amplectentem ex iis modeſtiam, & quod nimis eſt fugientem.*

Accedit, quod in omnibus etiam rebus bonis ipſa nimietate peccetur, ſi modus non ſeruetur, excepta virtute & ſapientia, quæ eſt ipſa Mediocritas. Nam etiam ſecundum Euripidem & Horatium *Deſipere eſt nimium ſapere.* Idem Horat.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui
Vltra quam ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.

Vere Martialis,

Quiſquis plus nimio non ſapit, ille ſapit.

Sicut ille iuſtus eſt, qui non nimium iuſtus eſt. Secundum Salomonem. Quia ſummum ius ſumma iniuria, ſumma Crux, ſumma Malitia.

Præterea ſecundùm Hippocratem. *Omne nimium naturæ inimicum eſt.* Euripid.

Morbos parit, nimium quod eſt Mortalibus.

In Amicitia, nimietas noxia eſt. Martialis

Si vitare velis acerba quædam
Et triſtes animi cauere morſus,
Nulli te facias nimis Sodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Denique

Denique iſta nimietas ſatietatem adfert moleſtam.
Hom. *Cunctarum rerum ſaties contingit, amoris*
Et ſomni, & blandæ Cytharæ, Choreæq́ decentis.

Quinimo ſecundum Pindarum in Nemeis, etiam mellis ſatietas eſt. Vnde in Epigram. Græcis

Omne nocet nimium, Vetus hinc eſt iſta loquela,
Quod fel erit, non mel, ſi mel erit nimium.

Hoc Symbolum etiam fuit Chriſtiani Ducis Lunæburgenſis.

Ne quid Nimis.

Moderatio Virtutum omnium Pulcherrima eſt, teſte Ambroſio, *Nihil enim eſt tam præclarum & tam magnificum, quod non moderatione temperari deſideret*, vt ait Maximus.

VVOLFGANGI Ducis Bruſurcenſis

Moderata Durant.

Catharina Regina Angliæ aiebat, malle ſe fortunam moderatam, quam ſecundam vel aduerſam, potius tamen ſe hanc, quam illam electuram, quod ſolatia non deſint ijs, qui in aduerſitate ſunt, fortunatis vero nec ratio nec iudicium adſit. Adeo corruptus eſt animus lætitia rerum ſecundarum.

FL. IVLII CRISPI IMPER.

Homo non homo iratus.

HOc Symbolum videtur deſumptum ex illo Publij Syri, vel vt alijs placet, Senecæ, *Homo extra corpus eſt ſuum cum iraſcitur.*

Ita ira perturbat hominem, vt ratio in eo nihil poſſit, nec inter iratum & furioſum quicquam intereſſe videatur.

Hinc Dempho in Phormione apud Terent. *Ita ſe iratum*, ait, *vt nequeat ad cogitandum animum inſtituere.*

Demea in Adelphis. *Se apud ſe non eſſe*; non eſſe animi compotem, quod ardeat iracundia.

Vnde recte Ennius. *Ira eſt initium inſaniæ : cum qua*, vt ait Cicero, *nihil rectè aut conſiderate fieri poteſt.* 1. Offic.
Eurip. *Mens nil in ira rectè quicquam conſulit.*
Cato. *Impedit ira animum ne poſſit cernere verum.*
Bias. *Nihil magis pugnat cum ratione, quam ira & feſtinatio.*
Baſilius iram vocat, *Animæ ebrietatem.*
Gregorius. *Menti furore ebriæ, omne quod rectum dicitur, peruerſum videtur.*
Saluſt. *Iram & cupiditatem peſſimos conſultores appellat.*
Herodotus iubet *illam ratione fugere, non ſecus ac tyrannum acerbiſſimum*, vel tanquam *feram truculentam, vt eam nominat* Baſilius.

Imo

Imo quo maior eſt, eo immanior; eo autem maior eſt, quo maior eſt auctoritas eorum in quos cadit. Vnde illud Publij dictum. *Fulmen eſt, vbi cum parte habitat iracundia.* Et Ouid. *Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.*

Quapropter rectè monet Plutarchus *non temere commouendam eſſe iram & indignationem potentum.* Quare?

Secundum Pindarum, *ira non eſt vana liberorum Iouis,* Quorum etiam iniuriæ, (vt vult Seneca) *hilari vultu, non ſolùm non patiente ferendæ ſunt.*

Magna ira multos perdidit mortalium, ait Euripides in Archelao.

Horatius. *Ira procudit enſes,*
Et miſeras inimicat vrbes.

Statius. *Male cuncta miniſtrat, impetus.*

Quo fit, vt *plerumque finis iræ ſit initium pœnitentiæ,* vt ait Seneca.

Quod expreſſit Horatius in Epiſt.

— Qui non moderabitur iræ
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, aut mens:
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

Exemplum eſt in Alexandro Magno, qui poſtquam Caliſthenem, Clytum, & alios amicos per iram occidit, pœnitentia ductus, ſibi mortem conſciſcere voluit.

Theodoſius Magnus omnium principum laudatiſſimus Teſſalonicæ ob occiſum præfectum & ſatellites, concurſum multitudinis, tot millia etiam innocentiũ

curauit occidi. Inde dolorem ad finem vſque vitæ ſenſit, & pœnitentiam egit, conſilioque S. Ambroſij illam Codicis legem tulit.

Ne vlli Magiſtratus ſententiam ſeuerius, quam pro ſua conſuetudine à ſe latam intra triginta dies exequerentur. Vt ſpatium iræ daretur,

Quia mora interdum vltioni interponenda eſt, & ſecuritati conſulendum, antequam vindictæ, ait Tacitus,

Deinde, vt ait Caſſiodorus, *Vbi eſt feruida vindicta, ibi non eſt temperata Iuſtitia.*

Venceſlaus Rex Bohemiæ Car. IV. Imp. filius offenſus Miniſtri vnius verbo è menſa conſurgens arrepto pugione amicum interfecit.

Porro, cùm ſecundùm Platonem, pulcherrimum ſit victoriæ genus iram vincere, nam vt Publianus ait, *Iram qui vincit, hoſtem vincit maximum,*

Tum, qui verſaturus eſt in Rep. adniti debet, vt ſingulari moderatione in omnibus rebus iram cohibeat. *Hæc virtus*, inquit Quintilianus Lib. 9. *Eſt celebranda, hæc animi ſuſcipiendi moderatio vincere iram, & inter ſimultates quoque vincere animum,*

Briſeis apud Ouidium monet Achillem,

Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis.

Difficile id plane eſt. Ouid. 13. Met. de Aiace,

Hectora qui ſolus, qui ferrum, ignemque Iouemque
Suſtinuit toties, vnam non ſuſtinet iram,
Inuictumque virum vincit dolor.

Ad

Ad hanc victoriam tot alij ſunt Monitores.

D. Ambroſius, *Reſiſte iræ, ſi potes; cede, ſi non potes.*

D. Gregor. in Moralibus: *Quoties ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipſum; differ tempus furoris; cum tranquilla mens fuerit, fac quod placet. Per iram ſapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum ſit, neſciatur: Per iram iuſtitia relinquitur; quia dum perturbata mens iudicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat.*

Seneca 1. de Clem. *Nihil glorioſius Principe impune læſo.*
Horatius.

Ira furor breuis eſt, animum rege, qui, niſi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Menandri Monoſtichum iſtud.

Cum ſis homo, iram temperare noueris.

Exempla aliqua producamus.

1. Alphonſus Aragoniæ Rex, poculum, ex quo biberat, dari iuſſerat Caſpari adoleſcentulo, Piretus pincerna Caſparis inimicus renuit; ſurgens Rex ſtricto pugione illum aſſecutus eſt, & ne iratus feriret media in ira pugionem abiecit.

2. Eundem Regem cum in foro Capuenſi miles quidam apprehenſo equi fræno iratus ſiſteret, & petulanter conuitiaretur, Rex nihil animo commotus eſt, nec illum conſpicatus perrexit.

Q. Calaber Lib. 4. ait *Mentem placidam ineſſe hominibus ſapientibus,*

Secundum Curtium, *Continentia & moderatio in altiſſima quaque fortuna bona ſunt eminentia.*

Ouid. Lib. 3. Triſt. 5.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ
Et faciles motus mens generoſa capit.

Inde eſt Symbolum Aureliani Cæſaris.

Quo maior eo placabilior.

Facto id ipſum oſtendit. Cum in obſidione Vrbis Thyanæ in Bethinya forte iratus dixiſſet, ne quidem canem vnum ſe in ciuitate relicturum milites ad ſpem prædæ erecti vrbem vi ceperunt; ipſe occidi paſſus Heraclamonem ciuibus pepercit, & cum milites prædam peterent, negaui inquit me canem relicturum, canes omnes occidite.

Publianus. *Bonum apud virum cito moritur iracundia*

Idem. *Bis vincit, qui ſe vincit in victoria*

Seneca. *Nihil eſt magnum quod non ſit placidum*

Idem in Troade. *Quo te celſum altius*
Superi leuarunt, mitius lapſos preme.

Plautus. *Leniter qui ſæuiunt, ſapiunt magis.*

Cotys Thracum Rex, cum accepiſſet multa dona figulina cælato opere, & fractioni obnoxia, gratum ſe offerenti exhibuit, & mox omnia confregit, ne per iniuriam ſeruos peccantes acrius conciderct.


Aug. Cæſar cum Pollio iuſſiſſet ſeruum abijci in piſcinam, quod chriſtallum fregiſſet, dimitti illum iuſſit

iuſſit, & omnia chriſtalla comminui.

Ariſtoteles 3. Eth. c. 8. *Motus tardus magnanimi viri.*

Tacitus 4. Annal. *Conuicia, ſi iraſcare agnita videntur, ſpreta exoleſcunt.*

Remedia quædam ſunt 1. Iræ naſcenti reſiſtere. 2. Ad ſpeculum ire, & videre deformitatem. 3. Continere linguam. Vnde Seneca. *Optimum eſt ad primum mali ſenſum mederi ſibi, tum verbis quoque ſuis minimum libertatis dare, & inhibere impetum.* 4. Ira ſignum eſt muliebris animi; vnde illæ maxime ſunt iracundæ. 5. Inefficax eſt, & conſumitur tota in morſus labrorum. 6. Vitanda curioſitas. 7. Attendendi ſocij, crudelitas, furor, ſæuitia &c.



SYMBOLVM
CONRADI SECVNDI IMP.
Omnium mores, tuos inprimis obſeruato.

PRima hominis cura de moribus eſſe debet, vnde Ouid.

Prima ſit in nobis morum tutela bonorum,
Iudicium mores Nobilitatis habent.

Boni mores præſtantiores ſunt quouis patrimonio. Vnde Comicus. *Mores boni pulcherrimum peculium.* Menander. *Progerminant fructum bonum mores boni,*
At fructus hic, modeſtia eſt vitæ, bonus.
Contra vero *Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.* vt Plautus in Pœnulo.

Et Ambroſius. *Mores praui grauiores ſunt inimici, quam inimici infeſti.*

Cum autem, vt ait Seneca, *Mores ſibi quiſque det, miniſteria vero caſus aßignet.* Multum refert apud quos, cum quibus, quo more, quorum arbitratu homo viuat.

Hic Imperator monet omnium mores obſeruandos eſſe; vt ex his noſtros conformemus, longe tamen præſtat bonorum dumtaxat mores imitari, malorum negligere aut diſſimulare.

Theognis. *Conuerſando bonis bona diſces, namque malorum*
Conſuetudo bonis vmbraue ſemper obeſt.

Vnde

Vnde Thyeſtes apud Poëtam exclamat.

Nolite hoſpites adire ad me illicò iſtic,
Ne contagio mea bonis vmbraue obſit.
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.

Quia fere accidit, vt cum ſtultis ſtulteſcendum ſit, & cū vulpibus vulpinandum. Nam teſte Iuuenale natura.

— dociles imitandis
Turpibus ac prauis ſumus omnes.

Mala ſocietas res eſt contagioſa, ait Auguſtin. Et omnino teſte Menandro.

Magnum eſt opus bene viuere moribus in malis.

Idem. *Prudens eris ſi prudenti conuixeris,*
Malus ipſe fies ſi malo conuixeris.

Seneca. *Nemo non aliquod nobis vitium commodat aut imprimit: vtique, quo maior eſt numerus eorum, quibus cum conuerſamur, eo plus eſt periculi: nunquam mores quos offero, refero: redeo auarior aut ambitioſior; imo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui: vtrumque autem vitandum eſt, ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt, neue inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Itaque recede in teipſum quantum potes; cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt; illos admitte, quos tu facere potes meliores.*

Epictetus eodem modo monet.

Si placide & iucunde vis vitam tranſigere operam da, vt eos, qui tecum habitant, omnes bonos habeas. Bonos autem habebis ſi eos qui libenter tecum ſunt, tanquam cum bono informes, eos autem

qui inuiti ſunt tecum, improbitate iam corruptos à te ſegreges.

Certe cum mores doctrinæ non reſpondent, idem eſt ac ſi cœnoſo puteo puriſſimam aquam quis infundat, vbi cœnum ſimul & aquæ puritas contaminatur.

Pythagoreorum Symbolum erat *Cibum in metallum non eſſe inyciendum.* Hoc eſt ſermonem in animum hominis improbi, quod ita corrumpatur & putreſcat, & in acetum conuertatur.

Eorum qui gubernant vitia citius quam aliorum notantur & exaggerantur propter perſonarum conditionem. Plutar. de Rep. gerend.

Ex moribus ſigna probitatis vel improbitatis petũtur.

SicGregorius Nazian.ominatus eſt Iulianum Imp. daturum Imperio magnum malum propter ceruicem inflexam, humeros ſubſultantes, oculos vagos & furioſe intuentes, pedes inſtabiles, nares contumaciam & contemptum ſpirantes, ſermonem hærentem & ſpiritu conciſum.

Nec eloquentes dicendo ſunt grati, ſi non bene morati.Mores enim dicentis,non verba attenduntur.

Apud Spartanos bona ſententia à non bene morato dicta, debebat per alium pronuntiari cuius virtus eſſet ſpectata teſte Plutarcho de Audit.

Monet autemEpictetus trifariam conſiderandũ eſſe eum,cum quo eſt conuerſandum tanquam ſe vel præſtantiorem, vel inferiorem, vel æqualem. Quia oportet

tet præ ſtantiori auſcultare& obtemperare, inferiori recte conſulere, æquali bene conſentire,nec cum eo in contentionem incidere.

Simile eſt D. Bernardi præceptum. Iuſtitia eſt reddere vnicuique ſuum. Tribue ergo tribus quæ ſua ſunt; ſuperiori, æquali, inferiori. Redde reuerentiam Prælato & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis eſt: tribue æquali conſilium, quo ignorantia erudiatur. Tribue ſubiecto cuſtodiam, vt poſſis cauere peccatum & diſciplinam, vt quod minus cauit, minime maneat impunitum.

Anſelmus. Maiori reuerentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, Deo obedientiam, ſibi ſanctimoniam, inimico patientiam,egeno miſericordiam.

Porro mores prima ætate diſcendi; quid decorum in veſtitu, ſermone, victu, alijs diſcere debent, ſicut hyemi neceſſaria per æſtatem parantur.

Multi lyræ chordas congrue aptant,ſed mores animi negligunt. Ideo Diogenes muſicos in ius vocabat. Et tamen à moribus homines ſunt æſtimandi.

Sed ſicut in India eſt gens Pandorum,quæ in pueritia cano eſt capillo,in ſenectute nigro,ita aliqui primis annis ſunt ſobrij & modeſti, grandiores facti ad nugas ſeſe abijciunt & ineptias quaſique pueraſcunt.

Alphonſus Rex Neap. cum Syracuſanum militem truculentis moribus barbarum appellauiſſet ille præ-

clara,

clara,& Græca origine natum eſſe dixit, *Ego*, inquit, *Rex non à patria ſoleo, ſed à moribus barbaros definire.*

SecundumSotiadem ſtudere debet vnuſquiſque vt in adoleſcentia ſit continens,in ętate virili iuſtus,in ſenectute ſapiens, in morte deniq; fortis & patiens. Virgil.

Iudex ipſe ſui totum ſe explorat ad vnguem.

Cic. Lib. 2. de Orat. *Omnis noſtra cura debet in eo verſari, vt ſi poſſimus boni aliquid faciamus: ſin minus, ne quid mali.*

Igitur oportet, *ſuos etiam mores obſeruare*,

DiogenesirridebatGrammaticos illos,qui Vlyſſis mala inquirerent,ſua ignorarent. Ita aliqui in ſuos mores nõ inſpiciunt. Similes ſamijs, teſte Plutarcho, quæ domi oculos reconditos habent, foras egreſſuræ reponunt: domi cæcutiunt, foris ſunt oculatiſſimæ.

Videntes manticæ quod in tergo eſt.

Secundum Publium mores ſæculi diſſimulandi ſunt magis, quam effingendi, quos qui laudat ſibi diſplicet; qui exprobrat, cæteris.

Non ad mores ſæculi viuendum, ſed ad rectam rationem & Deum.

SYM-

SYMBOLVM
ALBERTI SECVNDI.
Amicus optima vitæ poſſeſſio.

DArius Rex Perſarum, vt eſt apud Herodotũ ſcribens ad Hiſtiæum *Omnibus theſauris pretioſiorem eſſe amicum prudentem & beneuolum,ait.* Magnifica omninò, & ſapiens vox cui hoc ſymbolum congruit Alberti Cæſaris, qui etiam hac Solonis ſententia delectabatur *Amicos ne temere aſciueris, aſcitos ne leuiter reieceris.* Idem dicit Iſocrates in Parænisi. *Amicitiã tarde contrahito, contractã autem perpetuo conſeruare ſtudete.* Sapiens. *Fidus amicus firmum præſidiũ, eum qui inuenit theſaurum inuenit. Amicum fidelem nulla res exæquat, nec vllum aurum argentiuè pondus eius fidei dignitatem æquiparat.* Menander. *Generoſum amicum poſſidens beatus eſt.*

In Oreſte Eurip. *Nil melius eſt amico, quod ſciam, bono;*
Non regna, non opes.

Manilius. — *Nihil ex ſemet Natura creauit,*
Pectore amicitiæ maius, nec rarius vnquam.

Plautus in Bacchide.

Multis modis meditatus egomet mecum ſum & ita eſſe arbitror.
Homini amico, qui eſt amicus, ita vti nomen poſſidet, niſi Deos, nihil præſtare.

Cicero in Lælio. *Nihil eſt tam naturæ aptum, tam conueniens ad ſecundas & aduerſas res, quam amicitia.*

Valerius Max. Lib. 4 *Potens & prævalidum eſt amicitiæ vinculum, neque vlla ex parte ſanguinis viribus inferius; hoc eius certius & exploratius, quod illud naſcendi ſors, fortuitũ opus, hoc vniuſcuiuſq́; ſolido iudicio incoacta voluntas contrahit.*

Grego. Nazianz. *Fidelis amicus eſt firmum propugnaculum & arx regia foſſis & vallo munita. Fidelis amicus eſt magna vi auri & gemmarum præſtantior. Fidelis amicus eſt hortus concluſus & fons obſignatus. Fidelis amicus eſt portus quietis & tranquillitatis.*

Caſſiodorus in Epiſt. *Sine amicis omnis cogitatio eſt tædium; omnis operatio, labor; omnis terra, peregrinatio; omnis vita tormentum; ſine quorum ſolatio, nihil eſt viuere niſi mori.*

Et vere, vt ait Seneca Lib. de tranquil. vitæ. *Quantum bonum eſt amicitia fidelis, vbi præparata ſunt pectora, in quæ tutum omne ſecretum deſcendat, quorũ conſcientiam minus timeas, quam tuam; quorum ſermo ſollicitudinem leniat; ſententia conſiliũ expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet; conſpectus ipſe delectet.*

Mithridates Rex Ponti, pro vno amico Leonico à Rhodijs in nauali pugna capto, omnes hoſtes captiuos, qui plurimi erant, permutauit. Sic plus ponderis, habet vnius amicitia, quam omnium ſimul hoſtium odium.

Ariſtoteles σώματα μεν δύο ψυχὴ δὲ μία. Duo corpora, ſed vna anima.

Sylla cognomento felix, inter ſuas felicitates, duas præcipuè ducebat. Vnam, quod Pium Metellum haberet amicum. Alteram quod Athenas non ſubuertiſſet.

Amicitia

Amicitia apud Græcos Dea habita; φιλίαν dicebant. Vt oſtenderent, verum amicũ velut numen quoddã eſſe.

Apud Romanos hæc erat amicitiæ imago, Iuuenis aperto capite, tunica rudi indutus, cuius in fimbria ſcriptum erat mors & vita: in fronte æſtas & hyems, habebatque latus apertum, cuius in præcordijs digito ſcriptum oſtendebat, *longe & prope.*

Darius oblato ſibi malo punico tot optaſſe ſibi fertur Zopiros, quot granulis eſſet malum illud refertum. Erat autem Zopirus verus & non fucatus amicus.

Sola militum amicitia fretus Scipio Africanus dicitur bellum Carthaginenſibus intuliſſe.

Elegans eſt Promethei Ægyptiorum Legiſlatoris teſtimonium. Hic enim cum interijſſet coniux, tulit moderatè, quod pars domus perijſſet: cum direptæ eſſent opes, dixit non ſua ſed fortunæ bona eſſe ſublata. Cum filius de vita migraſſet, dixit ſe tantum parte aliqua eſſe comminutũ: cum mortuus eſſet amicus frangi ſtatim dolore cœpit, in luctu & ſqualore ita iacere, vt ſine ſuſpirio nõ reſpiraret. Cum miraretur populus. *Amico*, inquit, *meo mors obtigit, mihi dolor, quia ego vt mortuus ſenſu non careo. Amicus non eſt amici exemplar, ſed alter idem.*

Horat. *Dimidium animæ* vocat.

Petrus Charron Lib. 3. de ſapientia. *Amicitiam* definit *eſſe confuſionem duarum animarum liberam, plenam, vniuerſalem.* Profert tria exempla.

Eadem voluntas. Bloſius Tyberij Gracchi amicus, iam condemnatus, interrogatus quid pro illo feciſſet? Omnia, inquit. An etiam templa incendiſſet? Nunquam id ipſe voluiſſet; ſi voluiſſet tamen, feciſſem.

Eadem bona. Tres erant Amici, diuites duo, pauper vnus. Pauper habebat matrem ſenem, & filiam vnam nubilem. Moritur hic, & vni diuitum legat matrem nutriendam, alteri filiam matrimonio collocandam. Quod ſi eorum alter forte è vita migret, alterum ſubſtituit. Ridebat populus hoc teſtamentum, hæredes acceptabant. Eo mortuo diebus quinque poſt moritur ille, cui mater obtigerat. Alter matrē accipit & paulò poſt ſuam, & amici filiam matrimonijs honeſtis locauit, diuiſis inter eas bonis ſuis.

Eadem vita. Damon & Pythias Pythagorei diſcipuli, quorum alter cum propter ſuſpicionem perduellionis à Dionyſio Syracuſano interficiendus eſſet, alter ſe vadem mortis conſtituit donec rebus in patria compoſitis amicus reuerteretur. Adfuit qui abierat ea hora, qua mori obſes debuiſſet. Val. Max.

Porro ad amicitiam contrahendam opus eſt ſpatio temporis & conſuetudine.

Hinc vetus Poëta. *Non eſt amicus abſque temporis mora.*

Et Prouerbium. *Mutuo nos non noſcimus, niſi modium ſalis ſimul abſumpſerimus.*

Sen. in Epiſt. *Poſt amicitiam credendum eſt, ante iudicandum.*

candum. Præpoſtere faciunt, qui aliter.

Deligas quem diligas. Prouerbium.

Plutarchus. *Vt nummum ſic amicum oportet habere probatum, antequam eo opus ſit.*

In amicis deligendis opus eſt prudentia, in ijs diligendis fide & conſtantia.

Prudentia illa in eo eſt, *Vt non cuiuis dexteram porrigamus*, vt eſt in Symbolis Pythagoricis. Quia teſte Cicerone in Lælio, eſt prudentis, ſuſtinere vt curſum, ſic impetum beneuolentiæ, quo vtamur in amicitia, quaſi aquis tentatis, ſic aliqua ex parte periclitatis moribus amicorum.

Siquidem, ait Plinius, *vt Zeuxis lente pingebat, quod diu duraret; ita diu explorandus amicus, qui ſit perpetuus futurus.*

Menander. *Vt ignis aurum, tempus ita amicum probat.*

Verum cum amicitia non poſſit eſſe niſi inter bonos, tenendum eſt illud præceptum Senecæ monentis *Vt primum ſe quiſque exhibeat bonum, ac, tum demum quærat alterum ſibi ſimilem & æqualem.* Pares enim paribus facile congregantur, vt eſt vetus Prouerbium. Item, *Similitudo mater amoris*;

Saluſtius. *Idem velle atque idem nolle, ea demum vera amicitia eſt.*

Sic cum vera amicitia inter bonos tantum oriatur, inter meliores proficit, inter optimos conſummatur ait Caſſiodorus in Epiſtola quadam.

Vnde fit vt ſola virtus ſit amicitiæ procreatrix Thales Mileſius *Oris elegantia adulterinos, animi pulchritudo veros amicos parit.*

Amicus adulterinus oſtentatiõnem officij ſemper ſpirat, nunquam præſtat officium. Hoc vt declararent Ægyptij Arborem Amyram Hieroglyphicum adulterinæ amicitiæ fecerunt. Illa enim arbor odorem fundit ſuauem, fructum vero nullum fert.

Inter homines verus amicus non ſeneſcit, dicebat Card. Aldobrandinus. Apud Ægyptios Hieroglyphicum canis; Canis Vlyſſis ſolus poſt annos viginti ex domeſticis Dominum cognouit.

Apud Parthos canes alebantur, qui cadauera deuorabant, vt docerent homines optime ſepeliri in amicorum animis.

Cæterum inter amicos *Amicus veterrimus optimus.* Symbolum Valentiniani Iunioris.

Plautus. *Certe hercle quam veterrimus,*
Homini optimus eſt amicus.

Sapiens. *Nouum vinum, nouus amicus, ſi inueterauerit, melius ſapiet.*

Ariſtoteles Lib. 7. Eudemiorum. *Amicitia ſtabilium, felicitas eſt temperantium.*

Cato. *Damnaris numquam, poſt longum tempus, amicum.*

SYM-

SYMBOLVM

FL. ANASTASII DICORI.

Mellitum venenum blanda oratio.

DIdo apud Virg. *Nuſquam tuta fides.*
Cato. *Rara fides hominum, quia multi multa loquuntur.*
Fiſtula dulce canit volucrem dum decipit auceps.
Ouid. *Candor in hoc æuo res intermortua pene eſt.*
Heſiodus. — *Pauci vera loquuntur.*
Cum plerique ſecundum Comicum.
Paululum intereſſe cenſeant, ex animo omnia
Vt fert natura, faciant, an de induſtria.
Publianum hoc. *Habet ſuum venenum blanda oratio,* vnde deſumptum eſt hoc Symbolum.
Plautus appellat. *Viſcum merum.*
Plinius. *Mellitum venenum.*
Diogenes. *Lethale mulſum.* Mellitum laqueum melleam præfocationem.
Hieronymus. *Melle illitum gladium.*

Seneca monet. *Malum hominem blande loquentem ſuum cuique laqueum agnoſcendum eſſe.* Inſidioſa eſt omnis blandiloquentia.

Ouidius. *Impia ſub dulci melle venena latent.*

Sic ſecundum D. Iacobum. Ex eodem ore emanat dulce & amarum.

Vnde

Vnde recte Æſchylus *Fucatam orationem morbum turpiſſimum appellat.*

Et Tac. *Blanditias peſſimum veri affectus venenum appellat.*

Quæ quidem *Palam blanditur, & aſſentatur omnia omnibus, ſed mordet clanculum, & ſi vſquam occaſio eſt, aquam frigidam ſubdole ſuffundit.*

Adeoque vt Satyrus obijcit apud Arianum *Ex vno ore calidum & frigidum exhalat.*

Hoc vitium valde hodie familiare eſt, plena enim ſunt omnia ſimulationis & perfidiæ.

Multa ſub vultu odia, multa ſub oſculo latent.

vt vetus quidam Poëta.

Plautus. *Multi more iſto & exemplo viuunt, quos cum cenſeas*
Tibi amicos, reperiuntur falſi falſimonijs.
Lingua factioſi, inertes opera, ſub tecta fide,
Pauci ex multis ſunt amici homini, qui certi ſient.

Comicus. *Altera manu fert lapidem, panem oſtentant altera.*

Vel vt Nazian. *Altera manu ſcabunt caput, altera genā feriunt.*

Tales odorat Achilles apud Homerum,
Odi equidem ceu clauſtra Erebi, quicunque loquatur
Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore condat.

Et apud Zenodotum.
Equidem virum odi duplicem ſermonibus
Probis amicum, cæterum hoſtem moribus.

Theognis. *Qui lingua duplicem mentem ſic geſtat in vna,*
Hoſtis, ſed nunquam fidus amicus erit.

Quia

Quia ſecundum Auguſt. *Fallax adulatio & crudelis eſt. Vetus in Rep. malũ*, vt ait Tac *Perpetuum regũ malũ*, vt Curt.

Hier. *Plus nocet lingua adulatoris, quam gladius perſecutoris.*

Publius. *Bonitatis verba imitari, maior malitia eſt.*

Hinc Hercules prædicat ſe non eſſe *Virum duplicem aut bilinguem*, apud Euripidem.

Capaneus dicit ſe habere *Cor ſincerum & os affabile.* Sophocles in Oedipo.

Quæ non volo, nec ſoleo fruſtra proloqui.

Euripides in Heraclidis.

Probis probum eſſe, & verax os ſemper decet.

Menander. *Quæ vera ſunt loqui virum ingenuum decet.*

Plautus. *Scelus eſſe videtur petenti proloqui mendacium.*

Cato. *Qui ſimulat verbis, nec corde eſt fidus amicus,*
Tu quoque fac ſimile, ſic ars deluditur arte.

Item. *Sermones blandos blæſoſq́ cauere memento*
Simplicitas veri ſana eſt, fraus ficta loquendi.

Hinc Hecuba monet Agamemnonem apud Euripid.

Agamemnon neutiquam fas eſt mortalibus
Linguam valere plus factis; ſed ſeu proba
Agit, loqui fas eſt proba; ſeu rurſus mala,
Putida eſſe dicta fas eſt ſemper, nec bene
Iniuſta quæ ſunt, poſſe iuſta dicere.

Plato in Phædro. *Adulator eſt beſtia omni humano generi peſtilens, ſimilis venefico, imo impuro dæmoni, qui animos incautos funeſtis Epulis fouet, & ſordibus noxijs inquinat.*

Habet adulatio vocem Sirenis, ſed ventrem Charibdis, blanda eſt & tamen aſpera; dulcis & tamen amara; candida & tamen nigra; facie humana, & tamen vipera.

Adulatio fecit Roboam Tyrannum. 3. Regum 12.

Agrippa cum Cæſareæ in ſublimi ſella eſt, & illi tanquam Deo acclamatur, quod illi gratum erat, repente ab angelo percutitur, & putreſcente carne & viſceribus morbo pediculari conſumptus eſt. Actor. 2. Ioſephus Lib. 19. Ant. Iud. c. 7.

Antiſthenes dicebat *Melius eſſe incidere in coruos, quam in Adulatores, Corui cadaueribus eruunt oculos, Adulatores viuos excæcant.*

Et vt ait Plinius Lib. 18. c. 17. *Sicut pardus odoris gratia allectas feras inuadit, & occidit, ita adulatores irretitos blandiloquentia fallunt & perdunt.*

Quæ mentiuntur aurum, fulgorem tantum auri imitantur. Ita &c. Sub aureo folio lethale venenum fundunt.

Hieronym. *Nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci ac molli vulnere animum feriat.*

Auguſt. *Duo ſunt genera perſecutorum, vituperantium & laudantium; ſed plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus perſecutoris.*

D.Greg. confert Adulatorem cum locuſta fructus deuorante; & cum Ape, quæ mel.

SYM-

SYMBOLVM
AVRELII VALERII IMP. MAXIMIANI.
Melius mori, quam ſibi viuere.

MAximianus geſſit Imperium cum Diocletiano, & ab illo, poſtea inductus pari mente cum illo depoſuit, egitque in Lucania vitam priuatam. Tandem pœnitere eum cœpit, flagrans adhuc imperij cupiditate. Itaque venit primo in vrbem ſimulans futurum ſe adiumento filio ſuo, ſed de vita periclitatus, fugit in Galliam ad Generum ſuum Conſtantinum, vbi cum de inſidijs ſuſpectus eſſet, à militibus Maſſiliæ ſtrangulatus eſt. Subinde in vita proteſtabatur. *Mori ſatius eſſe, quam ſibi viuere.* Animal ſociabile homo eſt, & ad Remp. natus. Hannibal. apud Siluium Italicum.

Quantum etenim diſtant à morte ſilentia vitæ?

Horat. *Paulum ſepultæ diſtat inertiæ*
Celata virtus.

Menander. *Hoc viuere eſt, ſoli ſibi non viuere.*

Non nobis tantum nati ſumus, ſed patriæ &c. Ita vir bonus debet admittere munus Reip. Nō enim tam decet Remp. geſſiſſe, quam gerere, vt monet Simonides apud Plutarch.

Interim non idem probatur omnibus, vox Epicuri

eſt λάθε βιώσας qua monet ita viuendum eſſe homini, vt nemo eum vixiſſe ſentiat. Ouidius.

Bene qui latuit, bene vixit,

Et Horatius. *Nec vixit male, qui natus morienſq́ fefellit.*

Quaſi ſatius ſit viuere domi in otio, quam publice in negotio: propterea quod is demum viuat, qui ſibi viuit, & quidem ſine inuidia, ſicut ſine gloria. Ouid.

Viue ſine inuidia, molleſq́ inglorius annos
Exige.

Horatius in Epiſtolis.

— Fuge magna, licet ſub paupere tecto
Reges & regum vita præcurrere amicos.

Seneca in Hercule.

Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per vrbes
Garrula laudat, cæloq́ parem
Tollat & aſtris; alius curſu
Sublimis eat. Me mea Tellus,
Lare ſecreto tutoque terat.
Venit ad pigros cana ſenectus
Humilique loco, ſed certa ſedet;
Sordida paruæ fortuna domus,
Alte virtus animoſa cadit.

Idem in Thyeſte.

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico,

Ne

Ne dulcis ſaturet quies
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio,
Nullis nota Quiritibus,
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies
Plebeius moriar Senex.

Diocletianus depoſuit Imperium.

Plutarchus libello parvo inquirit, an recte dictum ſit *Latenter eſſe viuendum.*

Qui hoc ipſum dixit Epicurus, ne lateret hoc dixit. At Plutarchus, *Odi ſapientem qui ipſus non ſapit ſibi.*

Philoxenus Erixidis filius & Gnatho Siculus obſoniorum nimia cupiditate impulſi narium ſordes emungere in patinas ſolebant, vt alij ab edendo deterrerentur, ſoli ipſi veſcerentur. Ita illi.

At videtur res praua, viue ita vt ignoreris; quaſi ſepulchrum ſit iam recluſum.

Non eſt viuere turpe: etiam qui male vixit non debet latere, ſed redire ad ſanitatem. Si virtus adeſt, ne ſis inutilis; ſi vitium ne neglige medicinam.

Cuinam dicitur illud *Late*? Si indocto, ſi prauo, idem eſt, ac ſi febricitanti, ne agnoſcatur. Veteres in publico ſuos exponebant, vt tranſeuntes illis ſuccurrent, ſicque creuit ars.

Si vero boni latere debent, quomodo latebit Epaminondas bello gerendo, Lycurgus legibus ferendis, Thraſybulus tyrannis occidendis, Pythagoras inſtituendis diſcipulis, Socrates diſputationibus.

Ipſemet Epicurus ſi latere volebat, quid erat opus ſcribere ad tot amicos in Aſia &c. *Si quis*, inquit Plutarchus, *cum Hedeia meretrice ſit acturus, tenebras quærat: at ſi quis verſetur in naturæ inueſtigatione, colat iuſtitiam prouidentiam &c. latere non debet.*

Si Themiſtocles Athenienſibus ignotus fuiſſet, non repuliſſent Xerxem. Si Camillus Romanis, perijſſet Roma. Si Dioni Plato non fuiſſet liberata Sicilia.

Sicut lumen nō tantum manifeſtos facit, ſed etiam vtiles ita notitia. Thebis latuit annis 40. Epaminondas, & nihil profuit, poſtea cognitus patriam pereuntem ſeruauit. Sophocles.

Namque æris inſtar, quod longo poſt tempore
Vſu refulget attritum, virtus viri
Comperta ſplendet actionibus probis.

Ingenium latens æruginem contrahit.

Vita in otio, non corpora tantum, ſed & animos labefacit. Aqua latens putreſcit. Ita &c.

Cum nox appetit, languor quidam corpora inuadit, ſub crepuſculum matutinum ad res agendas valent.

Veteres hominem φῶτα appellarunt à lumine propter cognationem cum lumine.

SYM-

SYMBOLVM

M. AVRELII CARI.

Bonus Dux, bonus Comes.

PLutarchus in vita Lycurgi facit mentionem huius Symboli. *Populus vt dicto ſit audiens, hoc diſcit à Principe; ſiquidem Dux bonus bonum reddit Comitem.*

Silius ita expreſſit.

Hortandi genus acer habet præcedere Ductor,

Xenophon in Pedia Cyri. *Principem ſubditis anteire debere non luxu & otio, ſed prouidentia atque induſtria.*

Ratio & conſilium ſunt propriæ Ducis Artes. Tacitus.

Hoc Symbolum ſumptum eſſe videtur à more viatorum qui viæ plerumque ducem bene præeunte, bene ſequuntur. Vel à militia, in qua fere, qualisDux, talis miles & exercitus.

Claud.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum
Vtque Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Nam, vt Cicer. pro lege Manil. *Non facile poteſt exercitum is continere imperator, qui ſeipſum non continet.*

Euripid. *Nullus ouium vſus eſt, vbi Paſtor abeſt.*

Mimographus. *Ducis in conſilio poſita eſt virtus militum.*

Claud. — *Qui tum promptius ibunt*

Si Dux ſit ſocius.

Lucanus. — *Magnos tolerare labores*
Summa Ducis virtus cogit.

Non vero tantum verum eſt hoc Symbolum, de Rep. vbi bonus Magiſtratus bonos reddit ſubditos, ſed etiam in omnibus officijs, quibus qui præfectus eſt dare inprimis operam debet, vt ſuo fungatur officio.

Qualis Rex, talis grex, vt dicebat Taianus vide eius Symbolum.



SYMBOLVM
LVDOVICI SECVNDI.
Par ſit Fortuna labori.

REfert Xenophon quod Lyſander cum Sardis ad Cyrum Legatus veniſſet, & à ſocijs dona attuliſſet, comiter à Rege exceptus fuerit, & in agrum deductus, vbi conſitę & directę arbores in quincuncem, humus ſubacta & pura, magna ſuauitas odorum ex floribus, eaque omnia à Cyro ipſo dimenſa & deſcripta cum admiraretur, tum intuens Regis purpuram & nitorem auro gemmiſque fulgentem dixit, *Recte te, Cyre, beatum ferunt, Quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt.*

Indicare voluit Lyſander ad perfectam felicitatem requiri quidem virtutem, ſed etiam fortunam. Ea demum eſt vera felicitas, *Si virtuti fortuna ſit comes*, Item fortunæ munera vel maxime bonis viris deberi. Ita Callymachus optat à Ioue Virtutem & Fortunam.

— *Virtutem da largus opeſque,*
Nam ſine Virtute haud reddit fortuna beatum,
Nec ſine fortuna virtus; da dexter vtrumque.

Ita Ariſtoteles & peripatetici requirunt ad felicitatem bona fortunæ.

Sic Architas PhiloſophusBeatitudinem appellat *Virtutis in felicitate vſum. τὴν τοῦ δαιμονίου χρῆσιν ἀρετῆς ἐν εὐτυχίᾳ.*

Ariſtoteles ad Nichomachum. *Præſtantiſſimam hominum vitam & virtute & felicitate conſtare.*

In Pythijs Pindarus. *Multum valent diuitiæ virtute Duce, Comite fortuna partæ.*

Et in Olympijs. *Ad ſummum virtutis conſcenderunt faſtigium labore & fortuna tanquam Deo duce.*

Claudianus tamen in Conſul. Manlij Theodori.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuue petit clareſcere vulgi,
Diuitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Tamen ſecundum Plautum,

Boni ſibi hoc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & Gratiam, hoc probis pretium eſt.

Satyr. *Quis enim virtutem amplectitur ipſam, Præmia ſi tollas?*

Plus mereri debet in quo virtus eſt Varro apud Nonium.

Nimirū *florens fortuna maximum eſt virtutis ornamentū.*

Secundum Salomonem *Coniuncta ambo, ceu poma aurea in lance argentea multo ſunt gratiora.*

Menander. *Nil tam fero ægrè, quam ſi virtuti domi,*
Anguſta res obſtat, ne emergat, vt decet.

At vero. *Fortunam laboribus indagari decet*, ait Euripides.

Nam Tragicus. *Si non labores haud beatus vixeris,*

Menan-

Menander, *Vt ſis beatus eſt laborandum ſibi.*
Fruſtra tamen labores ſi non ſit *Par fortuna labori.*
Pene præſtat otiari, quam male negotiari.
Commune Verbum, *Nihil labor aduerſante fortuna prodeſt.*
Vt Mimus vult Publicanus.
Nil agere ſemper infelici eſt optimum.
Apud Stobæum.

Expers labor fortunæ, vt in Prouerbio eſt,
Haud amplius fuerit grauis mortalibus.

Nam vt opes & copiæ & dignitates tolerabilem faciunt quodammodo laborem & ſuauiorem; ita multum abhorret opus, cuius inchoatio inuidia eſt, continuatio labor, finis odium eſt, teſte Seneca. *Summa autem ſtultitia eſt, confici labore, cum intelligas nihil poſſe proficí.* teſte Tullio.

Cæterum vere Epicurus. *Fortuna exigua interuenit Sapienti.*

Ariſtot. *Vbi fortunæ eſt plurimum, vbi mentis eſt minimum.*
Euripides in Antigone, *Sapientes eſſe dicit fortunæ ſeruos, & huic quadam neceſſitate ſubiectos.*

Hinc Græculus quidam, *Optat ſibi potius Guttulam fortunæ, quam dolium Sapientiæ atque ingenij.* Propterea quod fortuna omnium Sapientum conſilijs ſit potentior.

Secundum illud τύχει τᾶ ἀνδρώπου ἐκ εὐβουλία. *Vitam regit fortuna, non ſapientia.*

Apud Ariſtophanem Plutus ſtultos & improbos fo-

uet potius, quam viros bonos & ſapientes.

Hercules apud Tragicum, *O miſera virtus quam tu res eras nugatoria; ſerio in te exercebar, at tu fortunæ inſeruiebas.*

Manlius. *Infelix virtus, & noxia felix.*

Septimius Florens *Deſultrix Virtus.*

Q. Curtius lib. 8. *Quis neget eximiam Gloriam ſæpius fortunæ, quam virtutis eſſe beneficium.*

Pratus apud Iborum, Non in re ſed verbo virtutem tantum eſſe ait, & efficaciorem eſſe fortunam, cum iam eſſet moriturus.

Fato aliquid hic tribuendum eſſe videtur.

Hinc Symbolum, Sigiſmundi Imperatoris.

Sic cedunt munera fatis.

Nimirum Principum dona non illorum ſunt propria qui ea merentur, ſed quibus ſunt fato deſtinata.

Refert Peucerus in Chronicis. Cum ſemel equus eius flumen tranſiens vrinam mitteret, quidam Aulicus, Domino, inquit, ſimilis eſt equus. Quare inquit Imp. Ille, equus aquam in aquam inijcit, & tu beneficia, in opibus affluentes. Senſit Imp. ſe feſtiue accuſari, quod miniſtri bene meriti rationem non haberet. Tum ait, Nunquam mihi defuit voluntas benefaciendi, ſed principum beneficia non ſemper in bene meritos redeunt, ſed in eos, quibus fato deſtinantur.

Poſtea

Poſtea otium nactus duas pyxides pares magnitudine curauit, vnam auro alteram plumbo plenam; optionem eligendi dedit miniſtro; arripuit plumbeam, Tum Imp. *Vides non mihi voluntatem, ſed tibi fortunam defuiſſe*.

Docebat bona non tantum humana induſtria, acquiri, ſed diuinitus etiam dari.

Iupiter emetitur opes mortalibus ipſe Hom. in
Sic viſum vt fuerit, ſine lege, boniſue maliſue. Odiſ.

Si quis poſſidet opes nō magno labore partas, is multis Pindarus ſed ſtultis videtur ſapientiſſimus, & ſuo cōſilio ſapien- in Nemeis tiaq́; acquiſiuiſſe. At hæ non ſunt in viribus humanis; quippe quas Deus largitur, qui alias alium extollit, alium vt decet pro meritis de potentia deijcit.

Ita verum erit quod dicit Xenophon, *Sapientiam humanam nihilo certius eligere, quod ſit optimum, quam ſi ſorte aliquid eligatur*.

Emblema eſt apud Sambucum:

Sunt binæ hic ciſtæ, quarum tenet altera plumbum,
Auro ſed grauis eſt altera, neutra patet.
Optio ſi fallat, plumbum vt pro diuite cæcus
Arripias auro; quis tibi cauſa mali eſt?
Hinc quibus ingenium, multos fortuna retardat
Indigniſq́ refert præmia inqua viris.
In Domino non eſt ſemper ditare fideles,
Culpa, nec immeritos tot cumulaſſe bonis.

Nam quos fata premunt metas contingere fixas,
Et miſera nequeunt ſe releuare mora.

Huc pertinet figmentum Poëticum de duobus dolijs, quæ in foribus cœli poſuit Iupiter.

Hom.lib. vlt.Iliad

Dolia namque Iouis duo ſtant in limine plena
Muneribus, quæ donat: in hoc mala ſunt, bona in illo.
Hinc miſcens diſpenſat acuto fulmine gaudens;
Nunc mala diſtribuens cui vult, & nunc bona rurſum.

Idem Sigiſmundus dicebat *Mala vltro adſunt*

Poeta. Heſiodus

Vrenda filix innaſcitur agris.

Omnino vitium facile eſt contingere cuiuis.

Quicquid tamen ſit, Et quanquam *non eſt facile ſine choragijs fortunæ exercere virtutem,* Ariſt. tamen animus eſt potiſſimum, qui diuites facit; adeoque breuiſſima ad diuitias per contemptum diuitiarum eſt via. Non pauper eſt, qui minus habet, ſed qui plus cupit.

Alterum Ludouici II. Symbolum *Ditior eſt, qui diuitias ſpernit, quam qui eas poſſidet.*

Nam vt Valer. Max. *Omne nimium habet qui nihil concupiſcit.*

Non eſſe cupidum pecunia eſt, contentum vero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæq; diuitiæ. Ita ſcribit Cic.

Cicer. in Parad. *Solus ſapiens eſt diues.*

Pindarus in Olympijs. *Si quis ſanus fruatur diuitijs, contentus ſorte ſua, & claro celebris nomine, ne cupiat fieri Deus.*

Hæc

Hæc vero Auctorem ſcribentem &
plura meditantem inuida mors
oppreſſit. Anno Ætatis
ſuæ 66. LouanI 8. Idus
Ian, clɔ. Iɔc. XLIX.

NICOLAI VERNVLÆI

CÆSAREI ET REGII

HISTORIOGRAPHI

Publici Politiæ ac Eloquentiæ Profeſſoris Louani

IN

EMBLEMATA ALCIATI

COMMENTARIVS.

Hic, quod ſuperiori Operi interdum citetur, in Lectoris gratiam adiectus.

IN EMBLEMATA ALCIATI COMMENTARIVS.

Quid ſit Emblema.

EMblema dicitur quicquid ornatuscauſa parietibus, pauimentis, vaſis, pateris, veſtibus atque eiuſmodi rebus alijs permultis inſeritur. Vt clauiculi, imagines aureæ vel argenteæ, vniones & gemmæ cæteraque generis eiuſdem.

Euſtathius appellat quodcunque ornamentum exemptile, quod innoxie demi ac reponi poteſt vaſis aureis & argenteis *παρὰ τοῦ ἐμβάλλεσθαι* quod eſt inſerere, interponere, inijcere.

Olim quippe Magnatum & Principum ædes vt plurimum ornabantur lapillis quibuſdam quadratis & minute ſectis, politiſque, in quibus icones quædam intertextæ erant. Videre etiam eſt in nonnullis hodie templis.

Metaphoricè Emblema, eſt carmen quo imagines, pegmata & id genus ingenioſe inuenta variè & eruditè explicantur.

Alias Emblema eſt aliquid ſcite ac ingenioſe inuentum, ad aliquid in moribus aut Politia ſignificandum erudite.

Vnde eſt aliquod ſimulacrum ſeu imago petita vel ab antiquis ritibus, vel rebus naturalibus naturis ac proprietatibus animalium, vel Ægyptiorum hieroglyphicis, erudite ad mores explicata vel accommodata.

Diſtinguitur à ſymbolo & Ænigmate, etſi cum illis habeat ſimilitudinem.

Symbolum, (vt taceam alias ſignificationes) eſt ſcite aliquod dictum ſeu vaticinium, quo quippiam occultatur, & doctis auribus intelligendum proponitur. Sic aliquid Emblematis habet.

Non eſt autem Ænigma; quia ratio quædam eſt apertior in Emblemate, Ænigma verò verbis ambiguum eſt & obſcurum, vt etiam viros ſolertes & ingenioſos longa interdum mora teneat. In Emblematibus quia clariora & apertiora viri docti aliquid habent, in quo ingeniũ exerceant; etſi ab iis imperiti arceantur.

Exempla aliqua.

Si quis velit exprimere Emblemate negotia mundi retrogrado curſu ferri & progredi, pingat mundum conſiſtentem ſupra cancri dorſum cum hac inſcriptione. *Sic orbis iter.*

Si quis velit exprimere virtutis Comitem inuidiam, Pingat Palmam in cacumine montis, cuius radicem aliquot ſerpentes arrodant morſibus ſuis.

Si quis velit exprimere Parcendum eſſe ſubiectis, pingat Leonem qui cani ante ſe abiecto parcat, non lædat. *Parce ſubiectis.*

Ad

Ad Emblema III.

Simulachrum huius Emblematis

Alce fera, cum hac ſententia eius vnguibus inſerta

Μηδὲν ἀναβαλλόμενος

Nihil procraſtinandum, ſeu differendum.

QVod attinet ad ſententiam eſt Alexandri Mag. apophthegma. Quærenti enim quomodo ſibi tam multa tam celeriter comparaſſet. *Nihil*, inquit, *procraſtinando.*

Alce autem fera eſt, quæ equi robur, & cerui celeritatem habet, ſimilis fere iumento, à quo tantum proceritate aurium & ceruicum diſtinguitur. Plin. Lib. 8. Cap 15.

Optime ergo per hanc & eam ſententiam exprimitur, non eſſe differendum, quod celeriter & in occaſione fieri poteſt.

Patet in Alexandro Mag.

Eius erat tam præceps in rebus agendis cura & induſtria, vt omnium Principum celeritatem anteuerteret. *Curtius Lib. 5. & 7.*

Eius pedites equorum curſum adæquabant.

Darius conquerebatur nullum ſibi ſatis longum relinqui ſpatium, quo Alexandrum pro viribus & contentione retunderet. Nam Alex. noctu & interdiu magnis itineribus curabat, vt improuiſum hoſtem aggrederetur.

Illum animum etiam adoleſcens habuit. Cum illi

diceret Ariſtoteles expectandam eſſe robuſtiorem ætatem, qua melius animum ad res bellicas applicaret. Reſpondit, *At timendum eſt, ne dum annos expecto per incuriam audax mihi iuuentus præripiatur.*

Ælia. var. hiſt. lib. 10 Semel ter cccc. ſtadijs continuo itinere confectis antequam quietem caperet exercitus cum hoſtibus conflixit, & vicit.

Pro leg. Man. Cic. celeritatem inter virtutes Imp. refert.

Lib. 4. Vegetius ait in rebus bellicis celeritatem amplius ſolere prodeſſe quam virtutem.

I. Cæſar imitatus Alexandrum ardua quæque quaſi temere & ſine conſilio aggrediebatur. Dicebat *De ijs conſultandum non eſſe, ad quæ perficienda maximam vim celeritas haberet.* At quomodo Alexander conſecutus eſt tantam iſtam celeritatem? Audendo, laborando, agendo, non deſinendo. Et hinc celebritas.

Monitio & documentum.

Monemur hoc Emblemate maxima quæque perfici diligentia, & virium firmitate, abſoluique continua corporis & animi contentione. Illa aperte repræſentat *Alce.*

Proceleritate. Lucanus Lib. 1.

Tolle moras ſemper nocuit differre paratis.

Ouidius. *Sed propera nec te venturas differ in horas*
Qui non eſt hodie cras minus aptus erit.

Mart. *Non bene diſtuleris, videas quod poſſe negari.*

Socrates apud Xenoph.

Quic-

Quicquid agis promptiſſime atque optime & diligenter age.
Iulius Cæſar. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum titulum prætulit.

Veni, vidi, vici.

Symbolum Auguſti Cæſaris.

Feſtina Lentè.

EMblema eſt Anchora cum Delphino. Item velum in malo ſupra teſtudinem. Item telum & remora. Verbum vnum *Matura.*

Maturum enim eſt id, quod neque citius eſt, neque ſerius, (vt ait Nigidius apud Gellium Lib. 10. cap. 11. Nam ad res gerendas ſimul adhiberi debet, & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas.

Priuſquam incipias, conſulto, & vbi conſuleris matute facto opus eſt. Saluſt. bel. Cati.

Sene. *Diu delibera fac cito.*

Corn. Tacitus. *Conſilium ante rem.*

Cato. *Sat cito ſi ſat bene.*

Bias apud Ariſtotelem in Ethicis. Negotium ſuſcipiendum cunctanter, verum in ſuſcepto permanendum conſtanter.

Mimus. *Diu apparandum eſt bellum, vt vincas celerius.* Nam victoria conſilijs & ratione perficitur, vt Tacitus.

Symbolum L. Aurelij Commodi Imp.

Paulatim ſiue Pedetentim.

Dicere

Dicere ſolebat *A ſoſpite negotium paulatim, à mortuo fruſtra geri.* In imperio *Paulatim.*

L. Conſtantini quarti Progonati Symbolum.

Quod cito fit, cito perit.

Quod L. Campanus interpretatur

Quod ſubito exoritur, fluctuat vt ſubitum.

Et quanquam [quod Columella ait] matura ſatio ſæpe decipiat, ſera verò nunquam niſi mala ſit; longe tamen durabilius eſt & vitalius, quod paulatim creſcit, & augetur, quam quod vna quaſi nocte tanquam fungus ſubito naſcitur & prorumpit.

Illi pueri, quorum eſt ante ætatem maturum ingeniũ, aut vitales non ſunt, aut in ętate matura dementes.

Cato Cenſorinus dicebat, *Senilem iuuentutem prælnaturæ mortis eſſe ſignum.*

Sic iudicauit Seſtius de ingenio Alfij Flauij apud Senecam. Tam mature magnum ingenium non eſſe vitale. Hinc Actius apud Gellium, in iuuenilibus ingenijs, ſicut in pomis immaturis, probat acerbitatem: nam hanc demum matureſcere, & maturitatem tunc adferre priſtinam ſuauitatem.

Annoſa quercus eſt, & robore duro: ſed tarde & lentè creſcit.

Theophraſtus memorat apud Indos arborem eſſe quandam, quæ prius poſt centum annos fructus ferat, ſed optimos & ſuauiſſimos.

Sic

Sic Plautus ſcribit Elephantum gaudium eſſe perpetuo decem annos. Parit elephas ſecundum Ariſtotelem biennio, nec ſæpius, & ſingulos generat: ſed cum fœtum parit, producit fœtum eximium, & ebur nobile.

Contra, Canis, vt in Prouerbio eſt, dum feſtinat, cœcos parit, tanquam immaturos.

Emblema Adriani Iunij.

Picta mulier ſcabello inſidens, quæ geminas alas ad modum talarium Mercurij expanſas dextrâ tenet tanquam paratum volatui peculium: ſiniſtrâ teſtudinem, (tardigradum à Pacuuio) Rurſus dextro pede terram premit, & ſiniſtrum in altum effert, ita vt dextræ agilitatem remoretur pedis dextri grauitas: & leuæ tarditatem adiuuet pedis læui agilitas.

Inſinuat mediocritatem auream.

Hoc Symbolum; item animi moderationem, ne efferamur, vt ſortis noſtræ obliuionem induamus. Modus omni in re ſeruandus eſt, atque ita feſtinandum, vt nec tardi ſimus, nec præcipites.

Fabula Æſopica 69.

Sus, & Canis fœcunditate certabant. Canis dicebat ſe omnium pedeſtrium eſſe fœcundiſſimam. Tunc ſus, ſed dum, inquit, hoc dicis, ſcias te cœcos tuos catulos parere.

Fabula ſignificat non celeritate res, ſed perfectione iudicari.

Zeuxis Agatarcho pictori ſe iactanti de pingendi celeritate, cum is diutius immoraretur operi: *Ego* (inquit) *diu pingo, quia pingo æternitati.*

Auſter initio lenior, deſinit vehementior; Aquilo vehemens initio, poſtea lenior. Ita præcipites, in progreſſu frigeſcunt; qui conſulto agunt, magis in dies ardent.

Ad IV. Emblema.

Huius Emblematis ſimulachrum eſt Ganymedes raptus ab aquilâ in cœlum.

Sententia eſt, *In Deo lætandum.*

NOta apud Poëtas de Ganymede fabula, raptum eum ab Aquilâ fuiſſe, & ad Iouem in cœlum portatum, vt illi potum pro Hebe Iunonis filiâ miniſtraret. Fuit is Trois Troianorum Regis filius, eximiæ & prope inauditæ pulchritudinis, ideoque dignus habitus, qui Ioui pocula miniſtraret.

Raptus fuit vel ex Harpagia in finibus agri Ciziceni, vt Strabo; vel circa Dardanum Promontorium, vel in Idâ monte vt Virgilius Lib. 5. Addunt Aquilam Iouis armigerum, contra Titanas à Ioue imperium in omnes aues obtinuiſſe propter ſingularem diligentiam in rapiendo Ganymede.

Horatius *Qualem miniſtrum fulminis alitem,*
Cui rex Deorum regnum in aues vagas

Permiſit

Permiſit expertus fidelem,
Iupiter in Ganymede flauo.

Eius rei explicatio eſt apud Xenophontem in Sympaſio, vbi per Ganymedem animus virtute & prudentia præſtans intelligitur, ideóque in Cœlum adſciſcitur. Notant Iouem eos, quorum in vita animas amauerit, in Cœlum retuliſſe, vt Caſtorem, Pollucem, Herculem, &c. Non eos, quorum corpus amarit. Per hanc Fabulam demonſtrabant Sapientes prudentem virum à Deo amari, & illum ſolum proximè accedere ad diuinam naturam.

Eſt enim Ganymedes anima hominis, quam Deus ad ſe rapit, quia pulcherrima, ideſt nullis humanis ſordibus aut flagitijs contaminata, vel certè minimum Deus per amorem rapit.

Nihil propiùs ad ſummi Dei naturam accedit quam ſapientia. *Pocula Ioui miniſtrare*, eſt opera ſapientiæ Deo præſentare, quibus mirificè delectatur; & ſemper ſitit; id eſt, cupit nos eſſe ſapientes, quales cum fuerimus, proxime ad eius naturam accedemus, per charitatem & innocentiam. Hæc ſunt pocula nectaris.

Præclara illa Ptolomæi Carmina.

Noui ego mortalis quod ſum, ſed ſydera quando
Suſpicio, æthereas luſtroque mente domos.
Iam pede non videor mihi terram tangere, magno
Cum Ioue ſed veſci nectare, & ambroſia.

Quare tanta pulchritudo? propter innocentiam, & quia tam pulchra eſt ſapientia, teſte Platone, vt ſi oculis cerni poſſet, mirificos ſui amores excitaret.

Quare ab Aquila? propter perſpicacitatem: & ab Aquila Ioue; quia Deus adiutor eſt ad Sapientiam.

Anima, vt ait Plinius, *tum condere caput intra cœlum dicitur, cum relicta quaſi corporis ſecretione cœleſtia mentis oculo contemplatur.*

De Aquila.

Aquila eſt adunco roſtro, & recuruo vngue, corpore non maxima, carne dura, oſſe firmo, plumis rigidis, totâ corporis compoſitione denſa, probe compacta, ac robuſta, figurâ erecta, quietis ac pacis inimica, ſolitaria, ſylueſtris, ad pugnam nata.

Quia roſtrum eius aduncum eſt, venit in prouerbium, naſus aquilinus, qui dicitur ſpecies generoſi animi.

Alæ ſunt rectæ & extenſæ, in ſummitate recuruæ: pennæ alijs columbarum, & Anſerum pennis permixtæ eas deuorant.

Cerebrum eſt calidiſſimum, & in puluerem redactum cicutæ reſiſtit. Inter omnes aues validiſſima, & fortiſſima eſt.

Hiſto-

Hiſtorica de Aquila.

1. In Seſto educata à Virgine Aquila, vt beneficium referret, cum eſſet libertate donata, aues & venatus illi referebat; cum obijſſe intellexit, in accenſam pyram ſeſe iniecit.

2. Aquila nutrita à Pyrrho Epirotarum Rege gaudebat, cum nomen Pyrrhi audiret. Mortuo illo inediâ ſe confecit.

3. Ptolomæus Soter Arſinoæ filius expoſitus fuit, & ab Aquila nutritus, vt ferunt Macedones: hæc ſuper infantem extenſis alis æſtum, & pluuiam auertebat, aues gregales arcebat, & coturnicum ſanguine tanquam lacte alebat.

4. Ariſtomenes (vt refert Pauſanias) cum caderet in foueam altè dehiſcentem (Ceade) Aquila paſſis alis cadentem ſubijt, ita vt non læderetur. Poſt triduum vidit ibi vulpem, & eam apprehendens ſecutus venit ad anguſtũ cuniculum, per quem poſt vulpem exiuit, foramine manibus maiore facto.

5. Plutarchus: peſtis erat apud Lacedæmonios, & videbatur vrbem exhauſtura. Oraculum monebat vt quotannis nobilis virgo immolaretur. Helenę ſors obtigit, cum immolanda eſſet, Aquila deuolans ſacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatũ ſuper iuuencam demiſit. Eodem modo Valeria Virgo ab Aquilâ ſeruata.

6. Athenæus puer quidam Aquilæ pullum ſtudioſe & diligenter aluerat, & ægram curauerat magno amore. Cùm diu poſt puer ægrotaret Aquila aſſiduitate officij aſſiſtebat; cum non ederet, ipſa pariter non edebat. Cum mortuus efferretur, ſecuta eſt, & ſe in rogum iniecit.

7. Ælianus XVI. viri in area frumentum excutiebant, & cum ſitirent, vnum ex ſuis miſerāt, qui aquam ferret. Is geſtans in humeris ſitulam, & falcem in manu abijt, apud fontem reperit aquilam, quam implicatam ſerpens tenebat, falce diſſeruit ſerpentem & liberauit Aquilam. Deinde hauſta aqua ad alios redijt, qui cum auidiſſimè bibiſſent, & bibere ipſe vellet, inuolauit in poculum Aquila, & fregit. Ille indignatus pro beneficio malum recipere, vidit alios palpitantes & expirantes, quia ſerpens ſuo veneno fontem infecerat.

8. Ex Æliano. Sachoræ Babyloniorum Regi futurum è filia nepotem, qui regnum auo adimeret, Chaldæi prædixerant; ille filiam cuſtodiri iubet: filia fit grauida incerto homine, cuſtodes præcipitant infantem, forte præteruolans Aquila dorſo infantem excepit, & leniter in horto depoſuit. Horti Dominus inuenit, & delectatus forma educauit, Tilganum appellauit; Babyloniorum Rex poſtea fuit.

9. Surius de S. Medardo ait illum, cum receſſiſſet propter pluuiam ab equis, protectum fuiſſe ab Aquila expanſis ſuper eum alis.

Surius

10. Surius S. Benedicti occiſi à latronibus putantibus multum eſſe apud eum auri, corpus in aquam demerſum refert, & viſam Aquilam in ripa fluminis, quę corpus manifeſtauit, erat integrum.

11. De S. Staniſlao Cromenus & Herbatus.

12. Beda meminit cuiuſdam Aquilæ, quæ miraculoſe piſcem accepit è flumine, & S. Cuthberto Epiſcopo Lanſarmenſi, ne fame periret, detulit.

S. Ioannes dictus Aquila, quia ad ſolem Iuſtitiæ irretortis mentis oculis conuerſus fuit.

Cæſar & Ariſtoteles dicti Aquila, propter Principatum. Item Nabuchodonoſor Rex Babylonis.

Pyrrhus dici voluit Aquila quod ſuorum armis tanquam alis in altum elatus eſſet. Item Pindarus.

Moralia.

Plumæ Aquilæ pro diuitijs: vt enim ſine illis volatus non eſt, ita ſine his Principatus. Cur. 4. Imp.

Parit tria oua, tertium abijcit, quaſi duo ſufficiant ad ſpeciem propagandam. Triplex nimirum appetitus, ſed 3. voluptatum reijciendus.

Eſt generoſæ indolis ſignum; partem enim prædæ alijs auibus relinquit.

Aquila non venatur in locis nido ſuo propinquis. Imitantur eam fures, in aliena terra furantes.

Aquilæ renouatio, emendationem ſignificat.

Inter ambulandum vngues contrahit, ne atterat

aciem

aciem eorum, ſignificat non eſſe hebetandum ingenij acumen in rebus vilibus.

Hieroglyphica.

Eſt nota Regis, quia altiſſimè nidificat,& ſe ab alijs ſeparat.

Dei, quia eſt fœcunda, & longæua.

Altitudinis, quia recto volatu in altum fertur, & etiam deorſum, depreſſionis.

Excellentiæ, quia præſtat cæteris.

Sanguinis, quia illum tantum dicitur bibere.

Victoriæ,quia viribus omnes ſuperat,aut in terram ſe abijcit, & vnguibus ſe tuetur, donec alia fugiat.

Aquila geſtans ſaxum, ſacerdotem ſedem ſtabilem habentem notat, ponit enim lapidem in nido.

Potentiam ſocijs pernitioſam pennæ alijs permixtæ notant.

Cum ſeneſcit, roſtrum ita incuruatur, vt comedere non poſſit, ac tantum ſorbet. Notat bibaces ſenes.

Conuitiorum contemptorem, per Aquilam immotam & iuxta cornicem, quæ eam laceſſeret.

Emblemata & Symbola.

Amor cauſa omnium

Cæſar Triuiſanus. Aquila, Leo. Siren. Draco. } 4. Annorum genera.

1. Amor veræ gloriæ Aquila.

2. Virtutis & præſtantiæ. Leo.

3. Pulchritudinis ſiren.

4. Diuitiarum. Draco, earum eſt cuſtos.

Aquila

Aquila caput. Leo pectus. Syren venter. Draco pedes: repit enim. *Homo.*

Iulianus Apoſtata. Aquilam quam homo ſuis pennis transfigeret. Ars deluditur Arte. In labaro.

Ad res arduas opus diligentia. Aquila inter Cerui cornua ſedens. Illa corium adoriens in eius cornua ſe inſinuat, & puluere eius oculos implet, vt ſe ex rupe præcipitet. *Cl. Paradius arduà deturbant, vis animoſa quatit.*

Aquila Draconis cauda inuoluta: ſemper ſunt inimicæ feræ. *Vt lapſu grauiore ruant.*

Aquila tenens pede Oliuam. Bella gerant alij.

Aquila Promethei cor rodens. Alta cogitatis.

Ad ſequens Emblema.

Notantur Veteratores illi Machiauelliſtę, Gens Deo, & bonis inuiſa, nata ad contemptum religionis, & perniciem hominum. Quid volunt? Vt pietas excludatur, & fraudibus laxentur habenæ.

Quiſquis animam ſuam, cuius origo de cœlo eſt, ad inferna, & ima proſtrauerit, eo cadat, quo ipſe deiecerit. *Lactantius Lib.2 c.19*

Ad V. Emblema.

HVius Emblematis ſimulachrum eſt monſtrum quoddam, quod parte ſuperiori vſque ad vmbilicum homo eſt; inferiori draco. Sceptrum manu tenet, & ante ſe habet diadema regium ſeu coronam, pateram vnam, & ſaccum pecunijs plenum.

Sententia eſt hæc. *Sapientia humana ſtultitia eſt apud Deum.*

Hoc monſtrum, cum nec homo ſit, nec beſtia aliqua certa, puto fictum ab Alciato.

Ælianus Lib. 9. Hiſt. refert antiquiſſimum quendam virum olim in Auſonia fuiſſe nomine Marem, cuius anterior facies hominis eſſet, poſterior equi.

Cauſa naturæ duplicis, quod primus equum aſcenderit. Chriſtonius Dion Lybicam quandam fabulam refert. Eſſe in Lybia ferarum genus ex promiſcuo belluarum diuerſi generis coitu, ſæuum admodum & ferox circa Syrtes inprimis verſari; monſtri faciem eſſe muliebri corpore formoſo, papillis tumentibus, toto pectore ac ceruice pulcherrima, cutis colore admodũ nitido; reliquis partibus corporis horridis, & ſquamarum ſcabritie aſperis, infernè demum in longum anguem deſinentibus. Sunt feræ velociſſimæ, nemo poteſt earum inſultus effugere, omnia alia animalia per vim aſſequuntur; vnum hominem blanditijs adoriuntur, & præſtigijs implicant.

Plin. lib. 7 c. 56. Cecrops Atticæ regionis Rex dicitur fuiſſe duplicis naturæ, ſuperiori parte viri, inferiori feræ. Quod matrimonia primus ibi inſtituerit; vel ſuperſtitionem & idololatriam induxerit.

Alij dicunt biformem vocatum, quod ex dentibus Draconis exierit; vel quod duorum hominũ magnitudinis

dinis eſſet, vel duarũ linguarum peritus, Ægypt. & Græ.

Demoſthenes interpretatur eum robore ſimilem Draconi fuiſſe, homini mente.

Significatio eſt in ipſa ſententia.

Notantur ij, qui cum habeant animam rationis participem, terrena tantum ſapiunt, & neglecta parte ſui meliore humi repunt, in naturamque belluinam degenerant.

Hoc monſtrum initio vir eſt, fine beſtia. Tales Epicurei, qui finem non reſpiciunt & ita degenerant. Exterminandi è numero hominum.

Homo imago Dei, quando vero ita ſe abijcit, vt terrena tantum ſapiat, in belluarum numero eſt.

Notantur hic etiam Athei, quorum omne ſtudium in eo eſt, quod præſens eſt.

In religione tamen ipſum hominis bonũ eſt: cętera, quæ putantur eſſe homini propria, in cæteris quoque animalibus deprehenduntur. Religio ſola differre homines à Belluis facit, quam qui non admittit, alienus à natura hominis, vitam pecudum ſub humana ſpecie viuit. *Lactantius lib. 2. c. 3.*

Antiqui Philoſophi etiam ſpurciſsimi & impuriſsimi.

Penander Cratea propria matre abuſus eſt. Socrates Alcibiadi in delitijs fuit. *Ex Laertio.*

Theodorus ait Sapientem publice, abſque pudore & ſuſpicione, ſcortis congreſſum.

Phædon captus ab hoſtibus infami quæſtui ſe addixit. Stilpo præter vxorem, Micarete pellice vtebatur. Menedemus notatur nimium familiaris fuiſſe Amaſio Aſclepiadis.

Plato captus fuit amore Stellę Aſtrologi & Dionis.

Bion Boryſthenites Theodotæ, & Philetæ Scortis publicè congrediebatur. Demetrium, & Myrleanum iuuenes turpiter amauit, vnde ab Ariſtone corruptor Iuuenum dictus eſt. Idem adoptabat iuuenes, vt ijs abuteretur.

Ariſtoteles Hermiæ concubinam amauit, eique ſacrificauit. Demetrius Phalereus, qui 360. ſtatuis æreis honoratus eſt, à Cleone turpiter eſt perpeſſus.

Antiſthenes dicebat ſapientem formoſiſſimis quibuſque mulieribus congreſſurum.

Diogenes dicebat debere eſſe communes vxores, & filios. Zeno vxores in Rep. communes ſtatuebat.

Chryſippus congredi iubet cum matribus, filiabus, & filijs.

Epicurus Leontiam, & Themiſtiam meretrices, & Pythoclem adoleſcentem formoſum in delitijs habuit.

Eudoxus fuit in delitijs Theomedonti Medico.

Omnes infandæ veneris Mancipia.

Maxima Antiquorum ſtultitia in idololatria.

Item cælos aſtra & Dæmones. Socrates ſacrificauit Æſculapio Gallum. Plato cenſuit Idola colenda, quod lex Gentium iuberet. Triſmegiſtus

giſtus Dæmonum ſimulachra, ne male faciant. Cicero ob metum legum Politicarum.

Deus oſtendit ſtultam ſapientiam Philoſophorum

Creando. *Ex nihilo nihil fit, Axioma Philoſophorum.*

In incarnatione. *Deus corpore, loco, tempore nō poteſt claudi.*

Patiendo. *Deus pati non poteſt.*

In Euchariſtia. *Accidens ſine ſubiecto eſſe non poteſt duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco. Corpus nequit eſſe in puncto.*

Sapientiam Ægyptij pingebant ſedentem in lapide quadrato, vt formam eius, ſedem indicarent.

Noctua item ſapientiæ ſignum. Viſa conſidere in haſta Hieronis adhuc priuati, aruſpices futurum cautum & ſapientem prædixerūt. Fidem fecit eius regimē.

Græcorum Philoſophia diuiſa, Hebræorum ſemper vna.

Credere ſe ſapientem, primus eſt ad ſtultitiam gradus: 2. profiteri ſe eſſe. *Petrarcha*

Cum in ſapientia maximum ſit bonum, pauci illam poſſident. *Pythagoras* Sapientiam tantum virtutibus anteſtare, quantum viſus alijs ſenſibus. *Solon.*

Sapiens eſt Dei amicus, amicorum omnia ſunt communia, & Deus omnia habet, ergò & ſapiens. *Diogenes*

Negabat ſapientem viuere ſecundum legem hominum, ſed ſecundum normam virtutis. *Antiſthenes.*

Ad Emblema VI.

HVius Emblematis ſimulachrum eſt mulier regio ornatu veſtita, inſidens beſtiæ ſeptem capitum. Manu tenet craterem, quem viris aliquot ebrijs, & ante beſtiam ſupplicum more proſtratis propinat.

Inſcriptio. *Ficta Religio.*

Hoc Emblema deſumptum eſt ex cap. 17. Apocalypſis B. Ioannis.

Meretricem illam ipſe Alciatus interpretatur Babylonem, quæ forma & ficta religione decipit homines. Poteſt dici Collectio reproborum, quæ relicto Chriſto vero ſeruatore, tanquam meretrix abijt, & impurum, illicitumque cultum fucatæ religionis oſtentat; ideoque dicitur inſidere impuræ, & formidabili beſtiæ.

Aureum poculum eſt Hypocriſis, qua diſſimulatis vitijs, & ſapientiæ fucatæ auro, pietatis veræ prætextu, imponit multis, qui male pereunt.

Calix aureus adagij vice vſurpatur, pro impietate Regalis Sella, purpureum peplum per adiuncta Maieſtatis Regiæ, & magnificentiæ. Nimirum turpitudo & impuritas regio in ſolio locum habent, qui virtuti debetur. *Sedere, maieſtatem & honorem auguſtum ſignificat.* Pierius Lib. 43.

Veſtis purpurea, eſt nota pudoris & verecundiæ. Nulla vero vitia præſentiorem inuehunt perniciem,

quam

quam quæ ſplendoris,& honeſti veſte teguntur.
Peplum. *Sacrum & ſolemne veſtimentum.* Prouerbium.
Peplo dignus, pro ſtrenuo & inſigni viro.
Latex, *dictus, quod aliquid intra lateat.*
Illex forma. *Id eſt illiciens & ſeducens.*

Explicatio ipſa. *Ficta religio.*

Nam decipimur ſpecie recti, nam ſicut malitia prudentiam, immanitas in voluptatibus aſpernandis temperantiam; ſuperbia magnitudinem animi, &c. aliaq; vitia virtutes imitantur, ita ſuperſtitio religionem.

Multi olim Philoſophi pallio, barbaque ſapientiam pollicebantur, & ſtudium honeſti, & libertatem cupiebant; interim vitijs non vulgaribus obnoxij.

Phariſæi, & Eſſæi triſti vultu, latis Philacterijs, & cultu fucato ſanctitatis opinionem apud populũ captabant; interim minime tales. Sunt etiam Pſeudochriſtiani; & potiſſimum hæretici.

Poteſt etiam referri ad quamcunque ſimulationem & ſuperſtitionem.

Ad Emblema VII.

Sumptum eſt ex Apologis Gabriæ.

Simulachrum Aſellus baiulans argenteum,
Cum id tranſeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratiâ eſt fieri ratus;
Iamque inſolenti elatus arrogantiâ,
Nolebat ambulare, donec aſpero

Probe

Ioannes Mercerus Heb. ling. Profeſſ. Pariſijs.

Probè dolatus fuſte clunes, audijt,
O ſtulte non es tu Deus, ſed fers Deum.
Se norit hominem qui magiſtratum gerit.
Quid ſibi vult Aſinus tergo myſteria portans?
Indoctos videas ſæpe præeſſe ſacris.

De Eccleſiaſticis.

Honorandi Eccleſiæ Antiſtites & Sacerdotes, etſi vitioſi & ſtupidi, propter munus ſacrum. Sed meminerũt ſe homines, nec ſibi arrogent nimium, ne audiant *Non es Deus, ſed Deum fers.*

Poteſt etiam dici de præfectis Imperatorum & Regum cum popularem applauſum in Prouincijs impenſius accipiunt, vbi vicem gerunt tantum.

Exemplum Cornelij Galli, præfecti Ægypti, is poſt multa flagitia paſſus eſt ſibi ſtatuas poni, accuſatus deinde à Valerio largo coram Aug. Cæſare; vetuit Cæſar ne amplius Prouinciam obtineret.

Tacitus Lib. 4.

Lucius Capito procurator Aſiæ ſub Tiberio accuſatus eſt in Senatu à Prouincialibus, quod vim prætoris vſurpaſſet, & manu militum ad comitatum vſus fuiſſet, itaque conuinctus in exilium miſſus eſt.

Cato Vticenſis laudatur à Plutarcho quod cũ quæſtor eſſet minuerit prærogatiuam, quam longo tempore vſurpauerat Scritæ, & alijs in officijs conſtituti. Iuſſit enim vt miniſtros ſe, non magiſtros meminiſſent.

Torqueri poteſt in eos rerum imperitos & plane rudes homines qui honoribus Eccleſiaſticis & Ciuilibus

bus admouentur; interea dum generoſi & eruditi ad infimas curas ablegantur. Sic virtutis nomen inane eſt.

Guſtauus Rex Sueciæ. *Non nobis Domine, non nobis. Sed nomini tuo da gloriam.*

Erneſtus Archidux Auſtriæ. *Soli Deo gloria.* Neminem niſi in ſuo gloriari oportet, inquit Seneca. *Nihil autem habet homo niſi quod à Deo accepit.*

Georgius Guſtauus Comes Palatinus Rheni. *Soli Deo gloria.* Salomon *indecens eſt ſtulto gloria.* Prouerb. c. 26.

Si gloriari cupis, gloriam deſpice, & ſic omnibus præſtabis gloria. Chryſoſtomus.

Albertus V. Dux Bauariæ. *Tua eſt ô Deus gloria.* Securitas laudis in laude Dei eſt.

Ad Emblema VIII.

Simulachrum eiuſmodi eſt. Cumulus lapidum eſt in triuio, ſuper quam ſtatua Mercurij digito protenſo rectam viam oſtendit.

Inſcriptio, *Quâ Dij vocant eundum.*

Sumptum hoc Emblema videtur à Suida, qui refert Hermas eſſe Mercurij quaſdam ſtatuas, quales multæ erant Athenis dicatæ Mercurio à varijs.

Conſtituebantur etiam à viatoribus in vijs ſtatuæ Mercurij. Et Mercurio in obſcuris vijs ſacri erant acerui lapidum, vbi nimirum viæ non ſatis erant

cognitæ peregre euntibus. Idem honor cumuli lapidum conferri ſolebat virorum fortium tumulis.

Eiuſmodi etiam Herniæ imponebantur ſepulchris ad propagandam mortuorum memoriam.

Gymnaſijs quoq; conſecrabantur Hermathenæ, id eſt Mercurij & Mineruæ ſtatuæ coniunctæ. Patet ex Cicerone & alijs.

Mercurius olim dictus Hodius, & Hermogenius, tum à vijs & ſemitis, in quibus ſtatuebatur ad viam monſtrandam peregrè proficiſcentibus. Et eodem fine cumuli lapidum, maxime in biuijs aut triuijs.

Viatores autem ad Mercurij ſtatuam lapides accumulabant, quia ſic putabant Deum honorari re obuiâ: deinde, quod ita viam repurgare viderentur; vel quod eo lapidum cumulo Dei ſtatua notior videretur. Iſti autem Mercurij ſeu Hermæ erant quadranguli, ſuperiori parte Mercurij formam referentes, inferius inſcriptiones viarum oſtendentes.

Prouerb. *Mercurio dextro. Mercurialem.*

Iuuenalis — *Truncoque ſimillimus Hermæ.*

EXPLICATIO.

Ea eſſe ſequenda, ad quæ nos Deus, & natura idoneos eſſe voluit, cum ſummæ fatuitatis ſit aliquid, vt aiunt, inuitâ Mineruâ ſuſcipere.

Cato apud Cicer. naturam ait optimam Ducem ſequendam. Olim Gygantum more bellare, nihil aliud, quam naturæ repugnare. S. Pau-

S.Paulus monet, vt eam ſortem, vitæque rationem teneamus, cui nos Deus addixit.

Innata eſt menti humanæ cæcitas, qua ſit eundum neſcit; ideo eum ſequendum, qui via, veritas & vita eſt. Ideo Dauid: *Oſtende mihi Domine viam, in qua ambulem.*

Socrates apud Platonem pergendum eſſe ait ea viâ, qua Deus nos ducit.

Perſius. *Diſce, quem te Deus eſſe*
Iuſſit, & humanâ qua parte locatus es in re.

Sciendum Mercurium Deorum nuntium eſſe; itaque per eum ſacras litteras Dei voluntatem continentes intelligimus vel Prophetas, vel Doctores, à quibus viam fidei, & ſalutis accipimus.

Poteſt hoc Emblema referri ad cuiuſque vitæ genus, & inſtitutum; ad quod ingrediendum, cum difficile ſit, opus eſt aliquo Mercurio, ſiue doctore, qui viam doceat.

Symbolum Rudolphi Secundi ante Imperium.

Omnia ex voluntate Dei.

Nimirum vt in Orat. Dominica fiat voluntas tua &c. ſuam voluntatem diuinæ ſubijcere voluntati ſumma perfectio eſt. Dei voluntas ſemper optima eſt. Ad illam oportet ſua conſilia accommodare. Poſtquam factus eſt Imperator A. D. S. I. T. Auxilium Domini ſit iniquis Terror. Adſit enim Deus. Auſtriæ. Domus. Secura. Iouis. Telorum.

Flauius Leo. Imperator VI.

Quò fortuna, ſi non vteris.

Horatius in Ep.

Tu quamcunque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata ſume manu, nec dulcia differ in annum.
Vt quocunque loco fueris, vixiſſe libenter,
Te dicas ——

Albertus Pius Archidux.

Quo fata trahunt &c.

Fatum nihil aliud eſt, quam Dei voluntas oraculis diuinis quaſi effata, quæ eſt cauſa æterna rerum, & vt Tullius ait, *Omni ex æternitate fluens veritas ſempiterna; cui ſane obſequi in omnibus vt pium, ita ſalutare eſt.* Manilius: Certum eſt & ineuitabile fatum.

Oraculum vetus ἕπου θεῷ ſequere Deum.

Virg. *Quò fata trahunt retrahuntque ſequamur.*

Luca. *Quò fata trahunt, virtus ſecura ſequetur.*

Vetus Tragœdia. *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Ad Emblema IX.

Fidei Symbolum.

SImulachrum eſt Eiuſmodi. Vna eſt imago imberbis & ætate matura, cui nomen *Honor*, altera eſt virginea facie, quæ veritas dicitur, & cui honor dextram porrigit, in medio eſt *Amor* puer. His tribus ſimulachris deſcribitur *Fides*, quæ veritate honore & amore nitatur.

Sumptum Emblema eſt ex antiquo quodam marmore, quod adhuc hodie Romæ eſt.

EX-

EXPLICATIO.

Fides eſt dictorum, conuentorumque conſtantia & veritas. *Quid fides?*

Eius parens Veritas, nuda illa, quia in pactis nihil eſſe debet fucatum & à vero alienum. *Veritas parens.*

Adhæret honos, tanquam pignus ſtabilis & firmi pacti. Purpureâ induitur veſte, quod veritas facilè poſſit imminui & labefactari, niſi adſit honoris & reuerentiæ ratio, quâ fulciatur oportunè, & cum dignitate. Hic honor eſt virtutis præmium, & honeſtatis nutritius quaſi pater.

In medio eſt Amor, qui nexu quodam colligat veritatem & honorem. Quia niſi hæc aliquo condimento mutuæ beneuolentiæ conſocientur, facilè poſſint diſſolui.

Apud Antiquos Sabinos fuit Simulachrum quoddam triplici facie, cuiuis nomen triplex, Sanctus, Fidius, Semipater. Deſcribitur ab Ouid. 6. Faſt.

Dionyſius Halic. Lib. 4. ait Iouem eſſe Piſtium dictum quem Romani Sanctum appellabant, qui & Sagus, Piſtius, Sancus dicebatur, & Fidei Sponſor. Piſtius idem quod Fidius. πίςις fides.

Aliud ſimulachrum Fidij.

Marmor in feneſtræ modum formatum, in quo tres imagines. Dextrâ, virilis habitu pacifico, ſiniſtrâ, muliebris eodem habitũ coronam in capite geſtans, &

dextram dextræ cum altera iungens. In harum duarũ medio ingenui pueri effigies, cuius ſupra caput fidei ſimulachrum. Apud imaginem dextram *Honor*, apud alteram *Veritas.*

Honorem pro Deo olim coluerunt. Ouidius Lib. 5. Faſt. *Honor amori adiunctus verecundiam creat; & ipſamet eſt concordia.*

Veritas, vt Philoſtratus, virgo niueis induta veſtibus. Hippocrates eandem depingit mulierem pulchrã, magnam, ſimpliciter ornatam, illuſtrem & ſplendidam, cuius oculorum orbes pro lumine nitebant, vt aſtrorũ & ſtellarum fulgorem viderentur imitari. Nuda eſt, quia, qui eam colunt nudi ſunt, & aperti, ſimplices, nõ fraudulenti, nõ inſidioſi. Eius oratio ſimplex.

Fidei Symbolum olim in dextris coniunctis conſpiciebatur ex inſtituto Numæ Pompilij.

In Gymnaſijs olim, vt tradit Athenæus, vnà conſecrati erant Amor, Mercurius, Hercules. Secundus orationis, tertius roboris præſes, quibus coniunctis naſci amicitia, concordiaque ſolet.

Poteſt hoc Emblema referri ad reuerentiam, amorem, fidem parentibus debitam.

Ad fidem coniugum, vbi honor, amor, veritas; honor ex opinione virtutis, amor propter officia mutua, veritas, vt ſancta ſit coniunctio.

Ad officium erga Parentes, Magiſtratus, Præceptores, Dominos &c.

Ad

Ad Emblema X.

SImulachrum eſt eiuſmodi. Lyra ſuper lectum, & iuxtà liber apertus, in quo notę Muſicę. Inſcriptio, *Fœdera*. Ad Maximilianum Ducem Mediolanenſium.

EXPLICATIO.

Per lyræ temperamentum vult oſtendere, quanta ſit vis concordiæ. Lyræ conſtat chordis ſummis, medijs, & infimis, & concinnam reddit harmoniam per eam vir artis peritus; Confuſum vero concentum, quando bene aptata non eſt. Eodem modo Reſpublica, quæ conſtat diuerſi ingenij hominibus, firma & concordi pace ligatur, quando habet Principem idoneum, qui conſilio & rerum vſu valeat, & ſciat fouere inter ciues beneuolentiam commune pacis vinculum.

Cicero Lib. 2 de Rep. *Vt in fidibus ac tibijs, atque cantu ipſo, ac vocibus concentum eſſe quendam tenendum ex diſtinctis ſonis, quem immutatum, ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, eumque concentum ex diſsimillimarum vocum moderatione concordem tamen effici, & congruentem; ſic ex ſummis, medijs & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitatem conſenſu diſsimillimorum concinere. Et, quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in ciuitate concordiam, arctiſſimum atque optimum omni in Rep. vinculum incolumitatis, quæ ſine iuſtitia eſſe non poteſt.*

Romani veteres per Lyram hieroglyphicè concordiam ſignificabant. Et vt alij. *Iudicium compoſitam concor-*

diam

diam inæqualium, rectam bonamque institutionem, rationem, amorem, ſedatum animum.

In Lyra plures & diuerſæ ſunt chordæ, quæ ſimul componuntur, & ad eundem tonum temperantur, quod prudens & ſedatus homo præſtat in ſuis affectibus rationi ſubijciendis, vel in ordinanda œconomia, vel in gubernanda Rep.

Iſidorus Cynicus Neronem reprehendebat, quod bene caneret, & nullum ſibi in vita concentum proponeret: Nauplij mala bene caneret, ſua bona male diſponeret.

Diogenes Muſicos arguebat, quod lyrę chordas iuxta artem bene componerent, animum vero male, Plato propter eam rationem animum harmoniæ & concentus nomine appellauit.

Ariſtophanes virum ſapientem dicit optimũ Muſicum & citharœdum eſſe, quod ſapiens & muſis ornatus.

Alia Explicatio.

Per Lyram Mens, animus, ratio intelligitur. Hinc Concordia à corde; & cor animus eſſe videtur, quia ibi eſt animi Principatus.

Vel à chorda.

Sedati animi imago eſt: imo laborum, ſtudiorum & perturbationum dulce leuimen.

Apud Lacedæmonios ad Lyræ vel tibiæ ſonũ acies inſtruebatur.

Achil-

Achilles Lyræ modulis furibundum animum ſedabat.

Ageſilaus cum rogaretur, cur Sparta non cingeretur mœnibus, reſpondebat Ciues conſentientes, & armatos ſatis eſſe ad præſidium vrbis. Dicebat enim ciuitatem non ſaxis muniri, ſed concordiam ciuium eſſe pro muro.

Baradinus in Symbolis Heroicis refert de quodam, qui viderat quendam ita affectum melancholia, adeoque conſopitum & indormientem, vt ab eo ne verbum quidem poſſet extorqueri præterquam lyra perſonante, ad cuius Symphoniam caput erigens, ridebat & ad quęſita reſpondebat. Quæ res argumento eſt non paruam eſſe cum anima Muſicæ affinitatem.

Rei familiaris concordia in conſortibus per duas perdices incubantes. Habent enim bona receptacula ouorum, in vno mas, in altero fœmina.

Mercurij Caduceus angues circumuolutos habens concordiæ ſymbolum.

Notum de Sciluro rege habente 80. filios in Schytia qui præbuit filijs faſciculum telorum, quem frangere non potuerunt.

Ad XI. Emblema.

SImulachrum eſt Harpocrates ad menſam ſedens digito ſignat ſeu compeſcit labia. Inſcriptio *Silentium*. Videtur expreſſum ex Epig. Græco.

Dum tacet indoctus, poterit cordatus haberi:
Is morbos animi namq́ tacendo tegit.

EXPLICATIO.

Commendatur Silentium. Imperitus à Docto non diſtinguitur, ſi linguam cohibuerit.

Homerus quos fingit ſapientes, facit ſilentes vel pauciloquos. Silentium, vel ſobrius orationis vſus ſpecimen habet grauitatis. Loquacitas index eſt ſtultitiæ.

Therſites *morio arguitur, quod loquax eſſet.*

Neſtoris Oratio *melle dulcior fluit.*

Menelai *arguta eſt breuiloquentia.*

Vliſſis *oratio grandis, & vehemẽs, ſed diu ipſe, & cogitabũdus.*

Veterum quidam, *loquendi Magiſtros habemus homines, tacendi Deos.*

Lycurgus *voluit à pueris ſilentio initiari.* Idẽ de Pythagora.

Adagium Græcum. *Tutum ſilentij præmium.*

Simonides: locutũ fuiſſe pœnituit, tacuiſſe nunquam.

Megabizus Princeps, cum in officinam Zeuxidis pictoris veniſſet, & de arte pingendi diſſerere incepiſſet, riſerunt ſerui. Tũ Zeuxis, *Cum*, inquit, *huc veniſti, & linguam continuiſti, mei pueri tuam purpuram obſeruantes de te magni aliquid ſibi pollicebantur, ſed vbi loqui cœpiſti de arte, quam non tenes, ridiculus illis viſus es.*

Captiuus quidam cum duceretur ad Antiochum, iubebatur habere bonam ſpem: experturus Regis clementiam, cum ad eius oculos perueniſſet, *Nulla*, inquit,

ergo

ergo mihi ſpes eſt. Rex enim erat luſcus. Iocus fuit illi exitioſus.

Epaminondas multa ſciebat, pauca loquebatur *Sæpe, qui multũ habent pectoris, ſeu eruditionis, parùm habent linguæ.*

Demaratus cum rogaretur cur in aliorum conſeſſu taceret, an ex ſtultitiâ, vel ſermonis inopiâ: *Imò*, inquit, *tacere ſtultus non poteſt.*

Zeno rogatus à legatis regijs in conuiuio, quid de illo Principi ſuo renunciarẽt, *Hoc*, inquit: *Athenis eſſe ſenẽ, qui inter pocula ſciat tacere.* Notandum. *Senem, & inter pocula.*

De neſcio quo dictum olim: Philoſophus hic videri poterat, ſi tacuiſſet.

Pythagoras dicebat. *Nullos eſſe ſapientiæ fructus, niſi qui à radicibus ſilentij proficiſcerentur. Nihil prius ſuos diſcipulos docuit, quàm tacere; primaq́ apud eum meditatio, ſapienti futuro linguam coërcere.* Primum ſapientiæ rudimentum, *Meditari condiſcere, loquitari dediſcere.*

Iamblicus Pythagoricus. γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κρατεί, θεόις ἑπόμενος. Linguam cohibe præ alijs omnibus ad Deorum exemplum.

Socrates admonebat ſuos diſcipulos, vt tria præcipue in omni vitâ haberent, in animo prudentiam; in vultu verecundiam, in linguâ ſilentium

Solon dicebat *ſermonem ſilentio, ſilentium autem temporis occaſione obſignandum eſſe.*

Ariſtoteles rogatus quid in vitâ eſſet difficillimum, *Tacere*, inquit, *quæ loqui non decet.* Cur autem alios doceret

 loqui,

loqui, ipſe taceret? *Cos*, inquit, *ipſa non ſcindit*, *cultros tamen acuit.*

Hinc Natura, vt Dion dicebat, *probe egit, quæ geminas aures & linguam vnicam nobis fabricarit, vt ad audiendum, quam loquendum eſſemus promptiores.*

Grues cum ex Cilicia deuolant *lapillos in os ſumunt atque ita Taurum montem aquilis plenum tuto tranſuolant, idque noctu, ita tutiſſimum vbiquè ſilentium.*

Careo loquaculus volebat ab Iſocrate doceri: *Is duplicem mercedem petijt, alterã vt loqui, alterã vt tacere diſceret.*

Angerona Dea Præſes ſilentij obſignato ore antiquitus efficta, ſanctéque ſemper à Romanis culta, vt ſilentio apto nihil melius eſſe oſtenderent.

Apollonius Tyaneus quinquennium integrum ne verbum locutus traditur.

Ipſe Hippocrates Medicorum taciturnitatem iureiurando aſtringit, ne ea quæ celanda ſunt ægrorum vitia, quæ fidei concredita, cuiquam exoterico effutiant.

In Pythagoræ ſchola quinquennale ſilentium indicebatur auditoribus, ἐχεμύθίαν vocabant, à cohibendo ſermone, ne quæſtionibus & altercationibus implicarentur, neque à temeraria prouocatione, ſed à ſobrio & attento ſilentio ſapientiam auſpicarentur.

In Turcarum caſtris tam pertinax ſilentium, vt patiantur captiuos elabi, ne tumultus excitetur.

Harpo-

Harpocratis ſigillum in annulis multi veteres in annulis olim geſtabant. Auctor Plinius, *vt ſilentij fides ſignificaretur.* Hinc Alex. Mag. *cum Olympiadis matris litteras aduerſus Antipatrum legeret cum Hepheſtione, extractum digito annulum eius ori impreſſit, ſilentium tacite imperans.*

Titi Liuij imago poſita fuit à Patauinis ſupra prætorij fores, *habens ori appreſſum digitum: quod, vt putant, ſcribendo adeo multa ſit complexus, vt alijs ſilentium indixiſſe videatur.* Aliæ eſſe cauſæ poſſunt.

Ad Emblema XII.

Simulachrum huius Emblematis eſt Minotaurus in vexillo Romano. Inſcriptio *Non vulganda conſilia.*

Sumptum ergo eſt ex vexillis Romanis teſte Feſto.

Minotaurus fuit monſtrum natum ex Tauro & Paſiphaë vxore Minois, quæ arte Dædali coierat cum Tauro. Formam habebat partim hominis, partim Tauri Dædalus fabricauerat bouem ligneam, ſub qua latuit Paſiphae, & rem cum Tauro habuit.

Minos Dædalum Labyrintho incluſit, poſtea etiam Minotaurum, qui cum carnibus humanis veſceretur, coëgit Athenienſes vt quotannis ſeptem filios & ſeptem filias mitterent ad Minotaurum alendum, quo demum cum veniſſet Theſeus Minotaurum occidit auxilio Ariadnes & egreſſus eſt regens filo veſtigia.

Labyrinthus fuit locus apud Cretam à Dædalo factus perplexis parietibus. Eſt enim perplexum parietibus ædificium. Fuerunt 4. Ægyptius, Creticus, in lemno, in Italia, Porſennæ.

Reges Ægyptij in lacu Mœridis, ſeu in eius medio Labyrinthum fecere; in eius medio 37. Aulæ pro numero præfecturarum, in quibus Ægyptij Præfecti ſepeliebantur. Viæ erant longæ, tortuoſæ, & ſubterraneæ, quæ ad domus illas perfoſſis cuniculis ducebant, cæterùm adeò intricatæ, vt, qui has ingreſſus eſſet, inexplicabili errore duceretur, & exitum inuenire nequiret. Porta erat ex Pario marmore. Cum quis eundo feſſus ad viarum finem peruenerat, deferebatur ad porticum columnis ex porphyrite lapide conſpicuam, quę nonagenis gradibus aſcendebatur. Inde perueniebatur in Aulam, ſiue Cœnaculum marmoreum pulcherrimis ſimulachris, & ſtatuis ornatũ. Sed & viæ, ſeu meatus illi erant marmorei, aut lapide polito fornicibus tecti. Quædam fores audax certæ eiuſmodi edebant ſonum, quaſi tonitruum intus exiſteret terribile.

Labyrinthi Ægypt. author dicitur Pſammethus: Strabo, & Plinius volunt ab antiquiſſimis regibus exſtrũctum, ab hoc factum ampliorem. Continuit templa omnium Deorum Ægypti, & ſtatuas Monarcharũ.

EXPLICATIO.

Occulta eſſe debere Ducum conſilia. Sicut erat occultus Labyrinthus. Metellus

Metellus Macedonicus, interrogatus quid de bello Hiſpanico haberet, *Sufficiat tibi*, inquit, *id ignorare. Si enim ſcirem interulam meam meorum conſiliorum eſſe conſciam, mox exutam igni addicerem* Petrus de Aragonia *interroganti* Martino IV. *ad quid apparaſſet illam claſſem? Idem reſpondit.* *συμβολον ἱερον ἐστι χρημα.*

Tiberius. Aut nulli, aut paucis conſilium Principis notum eſſe debere dicebat, *Cum quæreretur ex eo, quare fidis amicis ſua ſecreta committere non ſoleret.*

Ad Emblema XIII.

SImulachrum huius Emblematis eſt Leæna ſine linguâ. Fuit autem Leæna meretrix Harmodij & Ariſtogitonis adoleſcentum Athenienſium nobilium, qui cum iniuiſſent conſilium de tollenda piſiſtratidarum Tyrannide, & Hipparchum dumtaxat, ex Tyrannis alterum, è medio ſuſtuliſſent, & irrito conatu Hiſpaniam eſſent adorſi, hęc capta fuit, & torta fidiculis, vt iuuenum conſilia proderet, ſed cruciatibus non ceſſit, & in ijs animam exhalauit.

Vt illi propterea honor haberetur, animal eius nominis erectum fuit, & vetitum, ne ab artifice ei lingua adderetur. Hoc exemplum adfertur à Tertulliano in Apologetico ad Martyres. *Hæc ipſa carnifice iam defeſſo linguam ſuam in faciem Tyranni expuit, ne coniuratos proderet.*

Ne quæſtioni quidem cedendum.

Hæc

Hæc explicatio eſt.

Valerius Max. lib. 3 cap. 3.

Refertur 1. *Exemplum Mutij Scæuolæ &c.* Hoc patientię. 2. Pompei Magni apud Gentium, Regem, vbi cremandum digitum lucernæ ardenti præbuit cum Senatus conſilia prodere iuberetur.

Zeno Eleates contra Phalarim Tyrannum ad Patriam liberandum adoleſcentes Agrigentinos inflammauit. Id intellexit tyrannus, conuocato in forum populo eum torquere vario cruciatuum genere cœpit ſubinde quærens quos conſilij participes haberet: ille proximum quemque tyranni nominauit, & ſuſpectum reddidit, itaque permouit Agrigentinos, vt lapidibus ſubito tyrannum opprimerent.

Anaxarchus cum à Cypriorum rege Nicocreonte torqueretur, nec vlla vi inhiberi poſſet, quo minus tyranno malediceret, cum ille linguæ amputationem minitaretur, *Non erit*, inquit, *hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis; protinuſq́; dentibus abſciſſam & commanducatam in os eius expuit.*

Cardanus lib. 8. cap. 4. de rerũ varietate.

Quidam cum Gonzagam principem hoſti prodere vellet captus multis ſe vulneribus confodit, ſeruatus tamen à militibus, ne ſe occideret, cum equo inſidens ad Principem duceretur, impetrauit ab ijs, vt pallium vultui obducerent quod frigeret, quo facto dentibus ſibi linguam præcidit & ſic obijt.

Sueton. in Caligula.

Caligula Imp. muliebri Libertinæ octingenta donauit,

nauit, quod excruciata grauiſſimis tormentis de ſcelere patroni reticuiſſet. Decretus eſt ei Clypeus aureus, quem quotannis certo die Collegia Sacerdotum in Capitolium ferrent ſenatu proſequente, Nobilibuſque pueris, ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius canentibus.

Conſpirauerant aliqui in Conſtantium. Inter eos Euſebius quidam Nobilis ita euiſceratus eſt, vt cruciatibus membra deeſſent, implorans cœlo iuſtitiam, toruum renidens fundato pectore manſit immobilis; nec ſe incuſare, nec quemquam alium paſſus, & tandē nec confeſſus, nec confutatus, cum abiecto conſorte pœnali morte eſt multatus. *Ammanus lib. 4.*

De muliere quadam imperterriti animi. *Nero*, inquit, *recordatus Voluſij Proculi indicio Epicharim attineri, ratuſq́ muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet. At illam non verbera, non ignes, non ira, eo acrius torquentium, ne à fœmina ſpernerentur, peruicêre, quin obiecta denegaret. Poſtero die cum ad eoſdem cruciatus traheretur, geſtamine ſellæ, (nam diſſolutis membris nequibat inſiſtere) vinclo faſciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit ceruicem, & corporis pondere conniſa tenuem iam ſpiritum expreſſit, clariore exemplo libertina mulier in tanta neceſſitate alienos, ac prope ignotos protegendo, cum ingenui & viri & equites Romani & Senatores intacti tormentis cariſſima quæque ſuorum pignorum proderent.* *Tacitus lib. 15. Annalium.*

Horatius. *Eſt & fideli tuta ſilentio merces.*

Idem. *Arcanum nec tu ſcrutaberis vllius vnquam.*

Ad Emblema XIV.

SImulachrum eius eſt, Bellerophon occîdens Chimæram. Inſcriptio. *Conſilio & virtute.*

Explicatio. Nihil eſſe tam arduũ, nullam eſſe tantam vim, quæ conſilio & virtute animi non poſſit ſuperari.

Notus Bellerophon, ab Antia Prœti Regis Argiuorum ſollicitatus ad libidinem, ſcelus auerſatus eſt, mulier impatiens doloris apud maritum illum accuſauit, vnde factus eſt exul, & vt quoquó modo moreretur, expeditionibus periculoſis eſt expoſitus, ſed conſtanti animo laboribus exanthlatis victor euaſit. Miſſus contra Chimæram, equo Pegaſo vectus incredibili virtute illam confecit.

Amiſodarus, ſeu Iſaras dicitur veniſſe cum naue, in cuius prora Leo, in puppi Draco; cum inferret Lycijs grande malum, miſſus Bellerophon eum interfecit, & inſecutus Amazones vicit.

Vel nauẽ, cuius vela videantur ala.

Alij voluntPegaſum virum fuiſſe egregium, qui nauem conſcenderit, cuius alæ vela eſſent. Chimæram vero fuiſſe filiam Amiſodari, cuius duo fratres Leo & Draco, qui omninò eſſent concordes, belluam eſſe tricipitem dixerunt: Illos vicitBellerophon. Alij Gentem bellicoſam, forte Amazones eſſe dixerunt. Chimæra triformis 1. Amor ſeu voluptas corporis inſultu Leonino

nino inuadit, deinde laſciuiam & procacitatem inducit, tum pœnitentiam.

Seruius aſſerit eſſe montem, cujus cacumen ardet: hunc fecerit habitabilem Bellerophon.

Plus Conſilio, & dexteritate animi effici, quam viribus corporis, clarum exemplis eſt.

Monſtra ſunt Sycophantæ, obtrectatores mundi vera portenta. *Item vitia animi.*

Pluris in armis eſt Imperatoris conſilium, quam totius exercitus impreſſio. Exemplum Fabius Max. cunctator. Item Antigonus Rex Macedoniæ, contra Pyrrhum, qui illi bellū inferebat nulla laceſſitus iniuria.

Spartani quando ſtratagemate, ſeu occulto conſilio hoſtem vicerant, Marti bouem immolabant, ſi aperto prælio Gallum Gallinaceum. Hoc modo monebantur Duces vt magis conſilio, quam vi & armis pugnarent.

Vincit, qui conſilio, nó qui viribus plus poteſt. Cyrus cū robore inferior eſſet hoſti, poſuit caſtra trans Araxem, & Maſſagetis irruentibus diripienda reliquit, mox illos cibo & potu graues, ac ſomno, media nocte adortus trucidauit. Facile eſt ſtruere inſidias, ſed difficile cauere.

Hannibal fere ſemper conſilio & dolo vicit: Et ipſe intercluſus à Fabio magno conſilio, per Caſſinatem ſaltum euaſit conſilio, alligatis ardentibus ſarmentis ad bouem cornua.

Pecunia cedit potentiori, conſilium illi imperat: illa eripi, hoc non poteſt.

Conſilium in Rep. eſt, quod capillus in capite Sampſonis.

Cardinalis Aldobrandinus dicebat, quod Imperator cum hoſte gerere ſe deberet, ſicut Leopardus cum leone. Cum ſit impar viribus, cuniculum agit cum lato vtrimque orificio, ſed in medio anguſtum, vt vix euadat ipſe. Huc cum venit Leo inſequens nec progredi, nec regredi poteſt, à tergo aggreditur & diſcerpit.

Conſus olim Deus, cuius templum ſubterraneum.

De virtute ſeu fortitudine animi.

Pædaretus dicenti cuidam magnum eſſe munerum hoſtium, *tanto*, inquit, *plus gloriæ referemus*.

Eſt aduerſus timorem armatura.

Græc. fortitudinem τὴν ἀνδρείαν vocant.

Et in hoſte magis timenda eſt fortitudo animi, quã robur. Vir fortis potius moritur, quam terreatur.

Mar. Seruilius vicies & ter ſingulari certamine pugnauit, & ſemper vicit, Leo mauult mori, quam vulnera vitare.

Quidam Spartanus cum eſſet incluſus ab Iphicrate Athenienſium Duce, & rogarent milites, quid iam agendum eſſet in re tam profligatâ, *Vos*, inquit, *veſtræ ſaluti conſulite, ego fortiter pugnando glorioſe moriar*.

Fortitudini iungenda conſtantia.

Dolores omnes infringuntur conſtantiæ clypeo. Caſſius Scaſua, cum eſſet ei ad Dyrrachium oculus ſagitta excuſſus, nihil ceſſit dolori, ſed forti animo in pugna perſtitit.

Galli fortes in bello, ingemiſcunt in lecto. Græci ignaui in prælio, in lecto conſtanter ægrotant.

Per Gruis pennas, quæ nunquam mutantur, Ægyptij conſtantiam & perſeuerantiam ſignificabant.

Ad Emblema XV.

SImulachrum eſt Templum, cuius in ſummitate Gallus Gallinaceus, in turre Campana, ante fores Leo. Inſcriptio *Vigilantia & cuſtodia.*

Duplex hic depingitur vigilantia, corporis & mentis: corporis vigilantiam Gallus refert, qui homines excitat ad labores; Campana mentis, quia excitat ad Deum. Cuſtodiam repræſentat Leo, quia apertis oculis dormit.

Hoc Emblema ſumptum eſt, ex Oro Apolline ex libello de notis Hieroglyphicis.

Hieroglyphica de Gallo.

1. Victoriæ ſignum. Hinc Lacedæmonij victo hoſte Gallum immolabant.

Refert Harpocratem ſilentij Deum Gallinacei guttur ſiniſtro brachio prementem. Nimirum Gallus excitat ad labores, & Harpocrates otium quærit, ideoque premit.

Signum Vigiliarum, quia à prima mediæ noctis inclinatione cantat. Signum excubiarum.

Impietatis, quia matrem ſalit, & patrem inceſſit. Ideo olim erat in Eculeo cum Simia, ſerpente, vipera cane.

Mulieris quæ viri munus affectat, per Gallinam quæ criſtam & caudam erigit, quod facit Gallina, ſi Gallum vicerit.

Prodigi. Olim Gallinam pingebant aureos nummos depaſcentem.

Democritus. Fœcunditatis, per Gallinam & ouum.

Securitatis, ſi ſit cum ramuſculo rutæ; tunc ſecuræ ſunt Gallinæ à vulpibus, & alijs infeſtis animalibus.

Somnium.

Viſi in ſomnis Galli pugnaces, ſignificant ſeditiones.

Qui videt multas Gallinas ad ſe venientes & domum ingredientes, augebitur diuitijs & honoribus.

Emblema.

Paradius. Gallus depictus ita vt ſub pede tubam habeat, pacis & armorum vigiles.

Aldrouandus. Gallus inuadens Leonem. Cedite fatis.

Gallus & exicus ſimul capientes cibum in vaſe alabaſtrino, in quod deſcendat è cœlo nix, lac, manna. Sic animus.

Gallus cum Lauro in roſtro. Vigilando. Hominem vigilem.

Fabu-

Fabulæ.

Gallus, & Canis Societatem inierant, veſperi arborem ſcandit Gallus, Canis ad radicem.

Gallus dum noctu cantat, venit vulpes, & rogauit vt deſcenderet; *excita*, inquit, *Gallus prius Ianitorem, tum proſiliens Canis vulpem deuorauit.*

Felis vorare Gallum volebat, quod noctu offenderet homines, reſpondit, vt excitentur ad opera. *Tu*, inquit, *agis contra naturam cum matre & ſorore coëundo, id inquit ad vtilitatem duorum : tum felis, quia abundabat reſponſionibus, ipſum deuorauit.*

Erat perdix cum Gallis, cum illam verberarent, triſtabatur; cum illos paulò pòſt vidiſſet pugnantes, iam ego non triſtabor, inquit.

Duo Galli pugnabant de fœminis, victus delituit. Victor in muro ſtans exclamauit: venit Aquila, deuorauit Deus ſuperbis reſiſtit &c.

Gallus inuenerat gemmam in ſterquilinio, malebat granum hordei. Multi de magnis iudicantes, vt minima ſpernunt.

Gallina ſerpentis ouis inuentis illa fouebat. Hirundo, hi aliquando te deuorabunt.

Prauitas implacabilis, etſi beneficio affecta. Fœmina quædam habebat gallinam oua aurea parientem, occidit, alijs ſimilem reperit. Auaritia.

FINIS.

CENSVRA.

QVæ in Symbola diuerſorum & Emblemata Alciati hoc opuſculo ſcripſit Eruditiſſimus NICOLAVS VERNVLÆVS &c. prælo & publica luce digna cenſeo. Datum Louanij die 26. Septemb. 1650.

IACOBVS PONTANVS S. T. Doctor
& Librorum Cenſor.

air